IOANNIS PRÆVOTII MEDICINA PAUPERUM.

IOANNIS PRÆVOTII

REI MEDICÆ PRACTICÆ
Olim in Patavino Gymnaſio,
EMINENTISSIMI INTERPRETIS

MEDICINA PAUPERUM

Mira ſerie continens remedia ad ægrotos cujuſcunque generis perſanandos aptiſſima, facilè parabilia, extemporanea, & nullius, vel perexigui ſumptus.

Huic Thæſauro adjunguntur Jucundiſſima pro Delicatulis Medicamento, non omiſſo ejuſdem Auctoris Libello aureo de Venenis.

PATAVII, MDCCXIX.
Ex Typ. Jo: Bapt. Conzatti.
Superiorum Permiſſu.

DE MEDICINA PAUPERUM

SIVE

De Medicamentis facilè parabilibus.

Q*Vicumque medendi arte claruerunt, atque ex humanæ salutis custodiam magnam sibi apud omnes gratiam compararunt, prima existimationis suæ fundamenta in pauperum tabernis jecisse videntur. Cum enim duo præcipuè medicum commendent, curandi peritia, & eximia in ægros charitas, sine qua vix esse potest alienæ calamitatis tanta commiseratio, quæ ad ferendum auxilium anxiè quemquam sollicitet: utrumque est ejusmodi, ut divitibus, atque Princi-*

pi-

pibus facilè probari non possit medicus, nisi frequenti pauperum medicatione se talem esse prius ostenderit. Nam quibus res illæ omnes affluunt, quarum penuria vitam reddit aliis minus caram: suspecta est mederi incipientium peritia, quæ multis experimentis ac præclaris curationibus popularium hominum testimonio evulgatis non innotuerit, isque solus non ægrè persuadebit divitibus, ad quos accersitus fuerit, se morbi, & non proprii commodi, lucrique causam serio suscepisse, qui multis egestate pressis strenuam operam aliquando navaverit, atque illorum consuetudine humaniter cum ægris agere didicerit. Quæ causa est, cur medicam artem ad discentibus, atque ex ejus professione famam, commodaque ingentia quærentibus illud in primis curæ esse debeat, ut bene medendi præcepta

acri

acri ſtudio cognita, infima ſortis hominibus ægrotantibus applicare ſciant, indeque primas artis exercitationes feliciter auſpicentur. Qua in re non parum obſtat medici conatibus fortunæ tenuitas, quæ non modò idonea ad tuendum ægri naturæ robur alimenta, ſed etiam accommodata ad ſanationem medicamenta comparari ſæpè vetat, adeo ut ex pharmacopolarum officinis nihil peti poſſit, ne levi ſumptu grave paupertati vulnus infligatur, novæque miſeriæ ad priorem fiat acceſſio. Providit tamen naturæ liberalitas pauperum neceſſitatibus multas medicamentorum materias, quæ, & ubique locorum obviæ ſunt, & levi artificio præparatæ ad omnem uſum optari poſſunt, in quibus non minus exercitatum debere eſſe medicum, ac in iis, quæ divitibus conve-

veniunt, scribit Galenus 6. *de compos. medic. per loca c.* 1. *præsertim cum obvia illa remedia non tam utilia sint pauperculis, quam necessaria divitibus iter facientibus, si forte procul ab Urbibus, & Pharmacopæorum frequentia, atque præsidio in morbum inciderent.* De *his ergo remediis, quæ* Latinis *facilè parabilia dicuntur,* Græcis εὐπόριστα, *hæc præsens erit tractatio, in duas divisa partes, quarum altera materiam obviorum medicamentorum omni ægritudinum generi conferentium exhibebit: Altera modum ostendet singula expeditè absque labore, & sumptu præparandi, quando sincera usui esse non poterunt.*

MA-

MATERIÆ MEDICAMENTORUM

Facilè Parabilium.

PARS PRIMA

IN recensendis medicamentis facile parabilibus convenientissimus est ordo executionis remediorum methodo inventorum, & ut sciat unusquisque expeditè proferre materiam, principio, aut progressu curationis eligendam. Cum igitur remedium à causa morbi indicatum, inventione quidem ultimum, sed executione sit primum, atque ante omnia causa tolli debeat, ut tandem morbus expugnari valeat. 7. meth. c. 12. primum locum jure meritò sibi vendicabunt medicamenta causæ morbificæ adversantia, quæ varia sunt pro varietate causę. Alia enim materiam copia peccantem minuunt, vacuantque: Alia deficientem augent: Alia pravam ejusdem qualitatem corrigunt: alia intempestivum motum inhibent: aut vitiosam quietem

ad naturalem motum revocant: alia deniquecausas toto genere præter naturã, & substantia, ut ajunt, peccantes extirpant.

A Vacuantibus exordiendum, eoque magis, quod pauperes ob victus pravitatem pluribus abundant excrementis, quam divites; ac proin ex cacochymia frequentius morbos incurrunt, quàm ex plenitudine.

Vacuantia porrò alia materiam sensibiliter evacuant per aluum, per vomitum, per urinas, sudorem, sputum, palatum, nares; alia insensibiliter digerunt, & in halitum vertunt; quibus in curatione locus est, duntaxat post sensibilem evacuationem.

Vacuantia per Alvum.

HOrum alia respiciunt impuritatem primarum viarum, neque ultra mesenterii vicinam regionem vires suas exerunt, & Lenientia dicuntur: Alia secundam, & tertiam regionem corporis expurgant, Purgantiaque, & cathartica appellantur.

Alvi lenitio fit assumptis per os, injectis per clysteres, & suppositis glãdibus.

Quæ assumuntur per os, duplicis sunt generis. Alia enim ventrem strenuè laxant, indeque excrementa educunt: Alia debilius agunt, quibus præcipuè utendum est ad lubricam alvum detinendam, ne excrementa naturalia primæ coctionis nimis diu retineantur.

Strenuè Laxantia in causa biliosa.

S*Erum lactis* depuratum bibitum à lib. iij. ad viii. intervallo unius hore: fit autem efficacius dissoluta in primo cyatho salis communis drach. j.

Aqua hordei non decorticati, præsertim decocta cum passulis, & prunis à lib. ij. ad vj. pota spatio semi. horæ.

Violæ purpureæ recens succus ab unc. j. ad unc. ij. cum cyatho aquæ hordeaceæ, vel fontanæ.

Rosarum pallidarum succus eodem modo haustus.

Curcurbitæ sativæ succus leviter coctus cum quarta parte mellis, & pauxillo salis communis ab unc. iij. ad unc. v.

Hæc omnia corrigantur maceratione absynthii, si debilem ventriculum contingat bile repleri.

Succus cichorei depuratus ab unc. iij. ad v. vel vj.

Oleum commune benè maturum cum triplo aquæ fontanæ coctum ad humiditatis consumptionem ab unc. iiij. ad unc. vj. per se bibitum, præcipuè in cardialgia.

Cerasi, aut *Persici* flores recentes ad P. j. in acetario sumpti.

Rosæ moschatæ. Num. iiij. in acetario sumptæ, maximè si rore adhuc madeant

Pruna dulcia Num. xij. leviter cocta ex aqua mellis.

Potest ex prunis parari Rob instar sapæ, exigui sumptus, & admodum gratum, quale sequens.

℞. *Prunor. dulcissimor.* lib. j.
Siliquar dulc. incis. unc. iij.
Aq. font. vel Vin. alb. subdulc. lib. iij.

F. decoctio lento igne, donec materia uteunque inspissetur, tum per setaceum trajiciatur, rursusque bulliat ad consistentiam sapæ, cujus exhibeatur pro justa purgatione unc. j. sem. circiter, vel sola, vel cum cyatho aquæ, aut juris: potest ulteriori decoctione inspissari in formam electuarii, pro illis, qui tantum bolos assumunt, sed ad-

addenda est quarta pars mellis, ut aliquamdiu servetur incorruptum, & datur ab unc. j. ad unc. j. sem.

Laxantia in causa pituitosa.

S*Acchari rubri* unc. i. ex jure pulli, aut aqua coriandrorum.

Sacchari fini unc. j. sem. usque ad unc. ij. eodem modo propinati.

Mulsa plena non cocta ab unc. viij. circiter ad lib. j. Corrigenda est ejus flatulentia sem. fænicul. Anis. aut Coriandr.

Vinum dulce cum tertia parte mellis crudi ab unc. iiij. ad unc. viiij. additis quoque semin. odoratis, ne ventrem distendat.

Fænugræci decoctum cum quarta parmellis, vel etiam solùm cum sale ab unc. iiij. ad vj.

Mercurialis olerum more esa condita oleo, & sale.

Sic & prodest ejus decoctum ab unc. iiij. ad vj. addito sale.

Hyssopi utriusque, sed magis montani, pulvis à drach. ij. ad iiij. cum oxymellite; vel decoctio ad m. j. hyssopi circiter data sola, vel cum oxymellite.

Tartari crudi pulvis a drach. ſem. ad drach. ij. ex jure galli, vel mulſa, vel decocto hyſſ. aut polij.

Reſina laricina illota à drach. iij. ad drach. v. pro adultis; in pueris à drach. j. ad drach. ij. ſem. circiter in forma boli, vel pillul.

In hunc finem parari etiam poteſt oxymel laxativum efficax in hunc modum:

℞. *Mercurial. ſpicat. ſeu fœminę M. ij.*
Abſynth. communis M. j.
Mellis lib. j.
Aq. fontan. lib. iij.

Bulliant lento igne ad perfectam deſpumationem mellis; dein adde

Hyſſopi
Polij an. M. j.
Acet. opt. lib. ſem.

Iterum bulliant ad conſiſtentiam oxymellitis, & F. Colatura. Doſis ab unc. iij. ad unc. vj. per ſe, vel cum jure.

Sunt quoque obviæ, & exigui ſumptus pilulæ de aloèlota, quæ dantur à ſcrup. j. ad drach. ij. circiter, & ſcribit Garzias ab Horto, ſi folia aloes inciſa coquantur cum modico ſale, eorum decoctum ad unc. viii. circiter alvum qua-

quatèr, aut quinquiès innoxiè ſubducere.

Laxantia in cauſa Melancholica.

F*Umariæ* in umbra ſiccatæ pulvis ad drach. iij. circiter ex mellicrato.

Ejuſdem ſuccus recens ab unc. ijſem. ad unc. iiij. circiter per ſe, vel cum ſero depurato, aut jure galli.

Valet & ejuſdem decoctio ex M. j. additis præſertim paſſulis, & momento ſalis.

Tartarum modo antea præſcripto uſurpatum.

Ejuſdem cremor datur à drach. i. ad drach. iii. cum jure, vel alio liquore.

Ex tartaro, & momento folior. ſenæ Alex. ſtimuli gratia ſit pulvis efficax, & gratus hac ratione.

℞. *Tartari crud. el.* drach. i.
Vel *Cremor. Tartar.* drach. i. ſem.
Fol ſenæ. ſcrup. i.
Sem Aniſ. vel fœnic. vel Cinam. ſcrup. ſem.
Sacchari fini drach. ſem.
Miſce Fiat pulvis pro una doſi.

Alvum Mollientia.

HIs, quæ non strenuè laxant, utendum est potius ad impedienda retentionem naturalium excrementorum primæ coctionis, quam ad alias necessarias, & citas evacuationes. Sunt autem hujusmodi.

Alvum Mollientia in causa biliosa.

SEquentes herbæ olerum more coctæ, & earum decoctiones valent; Scilicet *Acetosa*, *Atriplex*, *Blitum*, *Lactuca*, omne genus *Lapathi*, *Malva*, ejusque cauliculi, *Spinachia*.

Hæ herbæ magis emolliunt decoctæ cum passulis in jurepingui, vel conditæ multo oleo, & tantillo salis.

Cerasa dulcia cocta maximè cumjure, & conspersa saccharo.

Cerasorum item succus cum melle inspissatus ad j., vel ij. cochlearia, vel per se sumptus, vel cum jure.

Malapersica cocta, & saccharo conspersa.

Poma dulcia cocta.

Pas.

Fassulæ Corynthiacæ acinis carentes, & quæcunque similes, vel per se sumptæ, vel maceratæ in sero depurato, donec turgeant; vel decoctæ ex vino albo, vel jure, & saccharo conspersæ: ab unc. j. ad unc. ij. pro una vice.

Pruna dulcia cruda detracta exteriore pellicula, vel cocta ex vino, & saccharo conspersa.

Ptisanæ cremor, præsertim ex hordeo non decorticato paratæ.

Panis hordeaceus.

Oleum bene maturum copiosum in ferculis.

Horum omnium, quemadmodum & sequentium præcipuus usus est in prima mensa, aut jejuno adhuc stomacho, duabus circiter horis ante cibi sumptionem.

Alvum Mollientia in causa pituitosa.

ASparagi maximè petrei germen coctum, conditum oleo, & sale.

Avenæ farina in ferculis, ac pulmentis.

Brassica sativa, magis autem crispa, leviter decocta, condita oleo & sale.

Ejusdem bene coctæ primum jus dicta ratione conditum.

Ejusdem succus expressus ab unc. ij. ad unc. iiij. ex jure bibitus.

Beta eodem modo usurpata; candida censetur efficacior nigra, & rubra.

Calendulæ folia decocta, oleoque & sale condita.

Cicerum atque *Lentium* primum jus cum oleo, & sale.

Jus piscium quorumcumque salitorum.

Ficus recentes benè maturæ.

Ficus Passæ num. vj. aut vij. maceratæ in lacte, aut vino dulci, donec turgeant.

Alij verno tempore *Caricas* sternunt rosis pallidis recentibus, quas frequenter mutant spatio 14. dierum, atque in dolio compressas recondunt ad usum. Dantur duæ aut tres in prima mensa.

Juglandes recentes, vel in defectu harum siccæ in aqua, donec mollescant, maceratæ cum sale comestæ.

Panis furfuraceus, aut *similagineus* fit efficacior additis passulis, & senna Alexandrina.

Furfur ipsum cum jure coctum.

Siliquarum decoctum.

Al-

Alvum Mollientia in causa Melancholica.

C*Apparis* fructus sale conditus, leviter coctus, comeditur in acetarijs cum oleo, & aceto.

Lupuli turiones, id est primæ germinationes, elixi, & conditi oleo, & sale; solvunt efficaciùs, si superbibatur eorum decoctum.

Uva dulcis recens quæcumque, sed magis rore abhuc madens. Pensilis est inefficacior,

Vinum dulce pro potu.

Condimenta ex Sapa, & defruto, idest leviter cocto musto.

Huc etiam referuntur *prunæ*, & *passule*, maximè in melancholia adusta.

Fit acetum pro acetarijs condiendis ad tenendam alvum lubricam hac ratione.

℞. *Tartar. crud.* drach. ij. *Cremor. tart.* unc. sem.
Fol. sennæ. drach. iij.
Cinam. confracti vel. sem. anis. drach. j.
Aceti acer. lib. j.

F. infusio per diem naturalem, servetur acetum ad usum.

Acetum quoque *passulatum*, in quo Tartarum per noctem infundatur est non inefficax.

Clysteres Lenientes.

Extemporanei, & vilissimi clysteres intestina expurgantes parantur ex juris carnium lib. j. ol. olivar. vel sem. lini, recrementi Sacchari an. unc. iij. salis communis drach. j. M.

Vilior, & magis abstergens fiet ex aquæ salitæ naturalis marinæ, aut thermalis lib. i. & ol. communis unc. iij.

Vel ℞. *Decoct. Mercurial: malv. betæ, Furfur.* lib. j.

Suc. brassicæ, vel *mellis*, vel *suc. betæ*. unc. ij.

Salis communis drach. j. M. pro clystere.

Si opus sit emollitione insigni, vel augeatur quantitas olei ad unc. iiij. & vi. vel o eo omisso augeatur quantitas decoctionis factæ cum multa *malva*, *Althæa*, *Branca ursina*, & fortiter expressæ.

Re-

Refrigerandi vim, si ea sit opus, tribuent *folia violæ purpureæ*, *parietariæ*, & *hordeum* addita decoctioni.

Si languida sit expultrix, duplicetur aut triplicetur quantitas salis.

Glandes Lenientes.

IRritant leniter alvum ad excretionem suppositoria ex unc. j. mellis, aut recrementi sacchari ad duritiem coEti, addito salis tantillo, si langueat expultrix.

Pariter ex radice *betæ*, aut *raphani* in debitam formam redacta, oleoque, aut butyro illita cum, vel sine sale.

Idem præstat *truncus brassicæ*.

Ex carica inversa etiam fiunt suppositoria oleo illita, & sale aspersa.

Ex Sapone, *candela*, *lardo* in glandis formam concinnatis, oleoque aut butyro illitis.

Purgantia per Alvum.

QUæ excrementa trahunt ad ventrem ex remotioribus partibus, Catharctica, & Purgantia dicta, licèt sin-

ſinceros humores vix evocent, ſed magis permixtos; ſumunt tamen denominationem ab excremento, quod efficaciùs movent. Qua ratione reduci poſſunt ad quatuor claſſes, pro varietate humorum, qui purgatione educuntur, nempe ad purgantia bilem, pituitam, melancholiam, & aquoſitates, & ichores.

Horum ſingula facilioris diſtinctionis gratia rurſum partiri licet in *Benigna*, quæ clementer abſque torminibus, & à locis jecori circumjacentibus expurgant: Et in *Strenua*, quæ à locis remotioribus, & vena cava non ſine labore vacuant: *Valentiſſima*, ſeu furentia, quæ à remotiſſimis partibus trahunt, ac niſi probè corrigantur maximo cum conatu, viriumque diſpendio opus ſuum peragunt. Cum hac enim diſtinctione facilè erit unicuique deligere purgantia, pro diverſitate ſitus, & loci affecti, majori, aut minori reſiſtentia humoris evacuandi, viriumque fortiorum, aut debiliorum tolerantia.

Ergo *Bile prædominante* conveniunt pro benigna evacuatione *Dulcamaræ lignum* decoctum ab unc. j. ad unc. ij. cum

por-

portione *sem. anis.* aut *fænic.*

Frangulæ cortex flavus in umbra siccatur, & potissimum ineunte vere delibratus. Decoquitur à drach. ij. ad unc. sem. Datur pulvis à scrupulis ij. circiter ad scrup. iiij. Corrigitur seminibus aromaticis, & exteriore cortice nigro. Ideo simul exsiccatur, decoquitur, teritur.

Rhabarbari Monachorum, sive *Hippolapathi* Matthioli radicis exsiccatæ pulvis datur à droch. j. ad drach. i. sem. ex jure calido cum granis v. vel vj. *zinziber.* aut *hyssopi*.

Violæ purpureæ in umbra siccatæ pulvis à drach. j. ad drach. ij. cum jure *cicerum*, aut *pisorum* modicè coctorum.

Convolvulus major Matthioli decoctus à M. j. ad ij. Corrigitur stomachum astringentibus, maximè *myrto*, *roremarino*, & *cypero*.

Strenue purgant.

C*Entaurium minus* in decoctione à drach. ij. ad drach. iij. circiter in unc. viij. aquæ ad consumptionem medietatis addita *liquiritia*, vel *passulis* ad corrigendum amarorem. Datur pulvis

ad

ad drach. j. circiter ex decoctione prunorum, vel passularum præsertim ex aqua hordeacea.

Gratiolæ siccatæ pulvis datur ad drach. j. ex vino, aut jure alterato stomachicis.

Recens decoquitur à drach. j. sem. ad drach. iij. additis præsertim cichoraceis.

Peplii pulvis, ad scrup. iiij. circiter bibitus ex mulsa, cui instillatum sit modicum aceti.

Valenter purgant.

PEriplocæ recentis succus in umbra siccatus. Idem præstat ac *Scammonium*. Utrumque corrigitur cotoneo, aut fumo sulphuris. Qui modus nuperrimè inventus satis blandum reddit medicamentum, & omnis saporis expers. Extenditur autem alterutra materia crassè trita super chartam bibulam, & in subjectas prunas conjicitur sulphur pulverisatum; ita ut charta superjacens fumum accipiat, cum materia liquari incipit, removetur; & servatur ad usum. Hac ratione tutò datur scammonium à gr. v. ad xv. Præparati autem

cum

cum cotoneo sufficiunt ad summum g. x. Datur ex liquore convenienti, vel formatur in bolos, aut pilulas.

Ex dictis varia componi possunt ex tempore medicamenta purgantia. De quibus hoc in universum notandum, faciliorem reddi purgationem, si purgantia misceantur cum lenientibus sui generis. Quod de omnibus aliis purgantibus proportionaliter est intelligendum E. g.

Potio chologoga ex tempore sic parabitur.

℞. *Passular.* unc. sem.
Prunor. dulc. par. iiij.
Gratiolæ vel centauri minor. drach. ij. *Sem. fænicul.* drach. sem.
Aq. Gorde. vel Comm. unc. viij.

F. Decoctio lento igne ad consumptionem medietatis, & facta colatura exhibeatur pro potu.

Si bolus eligatur,

℞. *Rad. Hippolapath. pul.* drach. j.
Flor. Centaur. min. drach. sem.
Pulp. passul. ab acin. mundat. vel rob. prunor. inspissati. drach. vj.
Zingib. gr. vj.
Misc. F. boli.

Si

Si in ſtomachum ab omni medicamento abhorrentem incidas, efficies pruna ſolutiva, vel paſſulas, aut caricas ſi in propoſitis decoctionibus bilem trahentibus tamdiu macerentur dicti fructus, donec turgidi evadant, unde pro evacuatione ſufficient pruna vj. caricæ iij. aut iiij. paſſular. unc. ſem. uſque ad unc. j.

Eodem pacto præparabuntur hi fructus ad aliorum humorum expurgationes, mutata liquorum purgantium, quibus infundendi ſunt, materia.

Pituita prædominante benignè vacuabunt.

AGaricus infuſus per noctem in vino, in quo præmaceratum ſit *Zingiber*, vel *hyſſopus*, *Tymus*, aut alia ſimilis herba calida, & acris, deinde ſiccatus, uti vulgò, fit agaricus trochiſcatus, datur in pulverem tritus à drach. ſem. ad drach. ij. in pilulis, bolo, & potu ex oxymellite; Maceratur autem à ſcrup. iiij. ad drach. iij. circiter, præſertim in mulſa.

Aſarina Matthioli purgat quidem ſecun-

cundum omnes ſui partes, radice tamen eſt efficacior, datur pulvis à drach. j. ad drach. ij. cum oxymellite, aut mulſa.

Carthami ſem. pulpæ à drach. ij. ad v. circiter datur emulſio ex mulſa, vino potenti, aut jure corrigitur calefacientibus, & ſubaſtringentibus ſtomachum, uti ſpica, cypero, roremarino &c.

Rhamni catharctici, ſeu ſpinæ infectoriæ baccarum ſuccus, quo bibliopolæ librorum tegmina luteo colore tingunt. Datur in ſubſtantia à drach. iij. ad drach. vj. Corrigitur odoratis herbis, ſeminibus, aut aromatibus, maxime zingibere.

Ulmi craſſior cortex in pulverem tritus à drach. ij. ad unc. ſem. circiter ex vino, vel mulſa, vel decoctione hyſſopi.

Radix cava, ſive fumariæ bulboſæ radix in umbra ſiccata, datur in ſubſtantia ad drach. j. pulveriſate ex liquore convenienti.

Plantæ maximæ ſem. decorticata devorantur Num. xij. ad xx. circiter, vel ſola, vel cum nucleis pini, vel bibitur etiam eorum cremor ex vino.

Ex Rhamno dupliciter componitur ſirupus gratus, & pro pauperculis aſ-

ſer,

servandus hoc pacto.

℞. *Suc. baccar. spinæ infector. depurat.* lib. j.

Mellis despumat. lib. ij. sem.

Coque lento igne ad sirupi consistentiam. F. rariore linteolo colatura, postea calenti adhuc colaturæ adde.

℞. *Cinnam. el. pulv.* drach. iij.

Zingib. drach. j. sem.

Misc. & servetur ad usum.

Vel. ℞. *Dicti succi percolati, & per se decocti ad 4. partis consumptionem* lib. j.

Mellis despumati unc. viij.

Coq. unà ad consistentiam sirupi. Coctis jam, & remotis ad igne injicito pulv. Cinam. drach. ij.

Uterque datur ad unc. j. ad unc. j. sem. vel unc. ij. dissolutus in vino, aut jure Carnium, vel decoctione hyssopi, aut polij, vel thymi.

Strenuè purgant.

Esulæ majoris, & minoris radix, quæ aliquantò est efficacior majori: Usurpatur cortex maceratus in aceto rosaceo, vel cydoniato, & siccatus serva-

vatur ad usum: Si desint hæc aceta, alteratur acetum vulgare aliquo stomac hico frigido adstringenti, uti rosis, fructibus berberis, balaustio, cotoneo, Capreolis viti, flor. labruscæ, myrtho. Datur in substantia in pulverem tritus à gr. xj. ad xx. Maceratur à scrup. j. ad v. circiter ex vino, vel Mulsa.

Esulæ Venetæ radicis cortex eadem prestat eodem modo præparatus, & exhibitus.

Genistæ hortensis, quam Hispanicam vocant, folia, & semina dantur in substantia a drach. i. ad drach. ij. in infusione, aut decoctione à drach. ij. ad unc. sem. Corrigitur vino aromatico, vel aliis stomachicis odoratis.

Genistæ angulosæ omnes partes eadem præstant eodem modo exhibitæ.

Hermodactylus vulgaris, seu Colchici Dioscoridis radix eruta, priusquam floreat, & præcipuè post exortum foliorum, non patitur ullam infusionem, aut decoctionem. Datur pulvis à scrup. ij. ad drach. ij. in pil. tabel. bolo, vel per se in potu ex vino, & jure, acui debet vis illius iners aliquo acri, ut zingibere, hyssopo, thymo, si placet etiam

etiam addere alexipharmachum corrigens ventositatem, uti inter vulgaria sunt rutæ, & rutæ caprariæ, ac angelicę sylvestris radix, tutior erit purgatio

Pseudonarcissi lutei sylvestris radix decocta datur à drach. ij. ad unc. sem. ex vino aut jure correcto stomachicis odoratis.

Uvæ taminiæ, seu vitis nigræ Matth. radix siccata, datur in decoctione à drach. i. sem. ad drach. iii. In substantia in pulverem trita à drach. sem. circiter ad drach. i. sem. Corrigitur cortice, aut sem. citri, vel Arantior. vel spicæ.

Valenter purgant.

Bryoniæ asparagi ad M. sem. olerum modo cocti, & sumpti.

Succus germinum ejusdem à drach. i. ad ii. ex vino, vel jure, aut decocto hyssopi, origani; calaminthæ.

Placentæ absynthii frixæ in oleo per decoctionem facto ex bryoniæ germinibus idem præstat.

Ejusdem radix siccata, & decocta à drach. i. ad drach. iii. circiter; in pulve-

ve-

verem trita à ſcrup. i. circiter ad drach. i. ex vino, vel jure correcto abſynthio.

Colocynthidis pulpa maceratur à gr. v. ad xx. Decoquitur a gr. x. circiter ad gr. xxiiii. corrigitur aliquo ſtomachico Emplaſtico, quòque ſua lubricitate citiorem faciat dejectionem, uti malva, fœnugræco, & ſem. citri, coma; abſynth., vel cinam.

Huc pertinet etiam vinum generoſum (maxime Abynthites) quod per noctem in excavata colocynthide intabuerit.

Colocynthis pyriformis eadem preſtat, ſed aliquanto inefficacius, ac propterea in doſi fere dupla.

Chamelæa, potiſſimum ejus folia decoquuntur a drach. ſem. ad drach. i. In ſubſtantia a gr. x. ad ſcrup. i. corrigitur abſynthio, & hordeo.

Thymelæa idem præſtat eadem ratione.

Laureolamas, quæ Matthiolo Chamædaphne, & femina, quæ idem Daphnoides appellatur, idem faciunt, ſed inefficacius. Decoquitur à drach. i. ad iii. In ſubſtantia à gr. xv. ad ſcrup. i. & ſcrup. ii. corrigitur eadem ratione.

Ti-

Tithymalus quicunque, excepto latifolio, qui è predominio serositates evocat; dantur multæ ejus partes, datur lac à gr. v. ad gr. xii. Ramuli, & folia in substantia à drach. sem. ad scrup. iiii. Cortex radicis in substantia à scrup. i. ad drach. i. Maceratur à scrup. iiii. ad drach. iii. circiter.

Ex his varia componi possunt remedia, & vel ex tempore usurpari, vel in usum reservari. Exempli gratia pro Potu.

℞. *Agarici præpar.* scrup. iiii.

F. infusio in decoctionis hyssopi, unc. iii. per horas x. Facta colatura adde oxymel. unc. i. sem. Misc. pro potu.

Vel, ℞. *Rad. Esulæ præp.* drach. ii.
Fol. Laureol. recent. unc. i.
Fol. Myrth.) *an.* m. i.
Hyssopi)
Vini alb. lib. i. sem.
Melli despum. lib. i.

Coquantur lento igne ad mediocrem consistentiam, postea adde.
Sem. Anis. drach. i.
Coriand. præparat. drach. sem.
Cinamom. drach. i.

Bulliant iterum ad sirupi consistentiam

tiam F. Colatura, & servetur ad usum. Cujus dosis erit unc. i. sem. ad unc. iv. circiter.

Pulvis Gratissimus.

℞. *Hermodactyl. à superior. cort. mundat.* drach. i.
Tartar. crud. vel præparat. scrup. i.
Zingib. gr. vi.
Sacch. fini drach. sem.
Misc. & F. pulvis exhibendus ex vino

B O L U S.

℞. *Agar. præpar.* scrup. ii.
Tartar. drach. sem.
Cinam. gr. v.
Pulpæ. caricar. vel passular. ab acin. purgat. unc. sem.
Misc. F. Bolus.

P I L U L Æ.

℞. *Hermodact.*
Agaric. præparat. an. scrup. i. sem.
Zingib. gr. vi.
F. pulv. & cum oxymel. vel melle F. pilulæ.

Melancholia prædominante benigne vacuabunt cuscuta decocta à drach. vi. ad unc. sem. pro una vice, & corrigitur

absynthio in hunc modum.

℞. *Herb. Cuscutæ.* unc. i.
Com. Absynth. vulg. p. ii. vel drach. ii. *Aq. Comm.* unc. x.

Bulliant ad consumption. mediet. addendo sub finem.

Sem. fænic. aut Anis. ruditer contus. drach. sem.

F. Colatura pro uno potu; si infrà unc. sem. decoquatur, habet rationem medicamenti aperientis, non purgantis.

Epithymi usus esse potest Græciam, ubi oritur, incolentibus in substantia ad unc. sem. ex sero depurato, vel lacte, aut simili refrigerante, in decoctione à drach. vi. ad unc. i. sem. sed moderate coquendum est; tarda ejus vis deiiciendi corrigitur acribus, uti pipere, zingibere. Ejus loco alibi usurpetur thymus, cui facultas eadem inest, idem præparationis modus, nigri tamen in Europa familiarior est usus. Album alterum, quod in Syria oritur, est efficacius, præstat tamen ejus decocto diluere alia melancholiam purgantia, cum tardè dejiciat, quàm eo solo uti.

Po-

Polypodii radix in substantia à drach. i. ad iiii. ex jure galli, aut cremore ptisanæ. Decoquitur autem à drach. vi. ad x. Corrigitur discutientibus flatus, & subastringentibus ventriculum, uti sem. citri, arant., coriand., spicæ Italicæ.

Sennæ folia, & folliculi in substantia à drach. i. ad drach. ii., macerantur verò à drach. ii. ad drach. vi. non ferunt tamen decoctionem: corriguntur sem. odoratissimis, aliisque flatus discutientibus: fit hac maceratione Vinum Sennatum, cujus datur semi-cyathus, vel ad justam purgationem servata prædicta dosi, vel ad simplicem alvi lenitionem, si singulæ doses vini non plus contineant quam drach. i. sennæ per noctem infusæ.

Strenuè purgant Consiligo Matthiol. quam Tragus Elleborum nigrum esse censet, Dodonæus Bupthalmum; easdem habet vires, sed paulò invalidiores, ac elleborus niger officinarum eadem ratione præparatus.

Saniculæ fœminæ Fuchsii radix easdem habet facultates, easdemque præparationes.

Valenter purgant: Antimonium dejectorium, tale autem redditur terna calcinatione cum duplo salis nitri igne non admodum vehementi, materiamque bacillo ferreo continuè agitando, ne comburatur. Datur in substantia pro pueris à gr. iiii. ad viii. pro adultis à gr. vi. usque ad xii. & in iis, qui difficulter purgantur ad gr. xiiii. & xvi. Datur ex quocunque liquore, item ex cochleari panatellæ, aut ptisanæ; faciliùs operatur additis aliquot gran. cremoris tartar.

Ellebori nigri radix præparata. Variæ autem sunt præparationes, quibus reddi possit hoc medicamentum æquè benignum, ac Senna. Vulgò infunditur radicis cortex aceto generoso, deindè in umbra siccatur ad usum. Datur in substantia à scrup. i. ad ii. circiter. In decoctione à drach. i. ad drach. ii. circiter. In maceratione drach. sem. ad scrup. iiii. Corrigitur sem. odoratis, præcipuè dauci, & nymphææ, tanquam proprio alexipharmaco. Si placidum purgans reddere cupias, eoque uti loco benignorum, antequam exsiccetur ad usum, bulliat aliquantum in ace-

aceto, ſic enim multum virium deperdet, vel cum decoquitur, aut maceratur vulgariter pręparatum, abiiciatur primum decoctum, aut infuſum, & eidem radici novus liquor addatur pro ſecunda infuſione, aut decoctione exhibenda.

Præterea *ex Elleboro* duplex præparatur extractum, alterum altero efficacius.

Primum ℞. *Rad. Elleb. nig. vino ablut. & à terra purgat.* lib. i.

Conſcindantur, & infundantur per diem naturalem.

in Vini alb. opt. lib. iiii. addendo *Fl. Nymph. M.* i.

Sem. Dauc. drach. ii. *vel rad. dauci.* unc. ſem.

F. circa finem levis ebullitio, ut radices molleſcant, atque turgeſcant, tum prælo exprimantur, ſuccus percoletur, & depuretur, ſenſimque inſpiſſetur lento calore, cumque mellis craſſitudinem acquiſierit, adde Maſtichis i. partem. Datur à ſcrup. dimid. ad ſcrup. i. in forma pilulari, aut boli.

Secundum, quod eſt vulgarius.

℞. *Rad. elleb. nig. ſive recent. ſive ſiccat.* q. v.

Coque in octuplo aquæ, donec remaneat tertia pars, tum Radices fortissimè exprime, expressionem adde decoctioni, & utrumque per duplicatum colum trajectum simul inspissa ad consistentiam mellis, addendo mastichis octavam partem, succo jam inspissato. Datur à gr. xvi. circiter ad drach. sem. in pilulis, aut bolo.

Fit etiam ex Elleboro nigro pomum solutivum, si radiculæ exsiccatæ, & præparatæ pomo infigantur, pomumque sub cineribus coctum exhibeatur extractis radiculis; vel, si spatio diei naturalis sinantur radices pomo infixæ, rumque abjectis radicibus pomum crudum edatur.

Denique fit ex Ellebero oximel, aut quicunque sirupus solutivus, si radices unà coquantur, maximam autem Decoctionem sustinent; inest autem vis catarctica æqualiter ferè elleboro nigro officinarum, quem Matthiolus ellebor. nigrum flore purpureo vocat, & elleboro nigro herbaceum florem gerenti, qui Matthiolo est pseudo ellebor. niger. Verum prior cum minori molestia purgat, quam posterior, qui propterea me-

meliori indiget præparatione, & minori dosi.

Ex dictis componi poterit sirupus utilissimus, & gratissimus pro pauperculis asservandus ad expurgandum melancholicum humorem hoc modo.

℞. *Rad. elleb. nig. prepar.* unc. iii.
Herb. Borrag.
Lupulor.
Fumar.
Cuscut. an. M. i.
Mal. Cydon. in frustr. dissect. lib. sem.
Aq. fontan. lib. v.

Bulliant lento igne ad consumpt. lib. iii. deinde abjectis herbis adde.

Suc. pomor. dul. lib. sem.

Bulliant lento igne ad consumpt. medietatis, facta omnium forti expressione colatura, & clarficatione adde

Mellis despumat. lib. i.

Bolliant ad sirupi consistentiam. Cujus dosis erit ab unc. i. ad unc. ii.

Ex tempore verò talia componentur. E. G. Potus.

℞. *Fol. sennæ* drach. iii.
Sem. fœnic. vel anis. drach. i.

F. Infusio per horas xii. in unc. iiii. decoctionis Lupul. aut passular. & fa-

cta unica ebullitione, & colatione adde oxymellit simpl. (nempe ad viarum apertionem, & crassorum humor. detersionem.) unc. i. Misc. F. Potus.

Bolus potest proeparari ex tempore talis.

℞. *Folior. senn. pulveris.* drach. i.
Tartari.
Sem. Anisi vel Cin. ann. scrup. i.
Pulpę. passul. ab acin. purgat. unc. sem.
Misc. F. Bolus.

Pilulę formari possunt tales.

℞. *Fol. sennæ* scrup. ii.
Rad. Elleb. nig. pręp. scrup. sem.
Sem. Dauci.
Cinam. ang. gr. vi.

Pulverisata subigantur cum oxymellite, & F. Pilulæ.

Pulvis talis potest esse:

℞. *Antimon. dejectorii gr.* viii.
Cremor tart. scrup. i.
Cinam. el.
Sacch. an. scrup. sem. *Misc.* F. pulvis cum jure vel vino exhibendus.

Vel, ℞. *Fol. Sennæ.* drach. i.
Tartar.
Sacch. fini.

Ci-

*Cinam.an.*scrup. i. *Misc.* F. pulvis pro una vice.

Scrositate predominante benignè purgabunt.

Carlinæ radix, vel in pulverem trita ad drach. i. ex vino absynthite, aut oxymellite, vel decocta à drach. ii. ad unc. sem. corrigitur sem. odoratis, & absynthio.

Herbæ mirabilis Hispanorum variegatum florem gerentis radix ad drach. ii. quomodlibet sumpta.

Metcurialis sylvestris, vel decocta ad M. i. sem. vel olerum more cocta, & comesta oleo, & sale condita.

Iridis domesticæ purpureum florem gerentis radicis succus recens extractus, & depuratus ab unc. ii. ad unc. iii.; condensatus à drach. ii. ad unc. sem potissimùm ex vino absynthite.

Strenuè vacuant Antnoræ radix derasa à scrup. i. ad scrup. ii. ex jusculo, aut vino sumpta, non eget corrigente.

Cucumeris asinini radix siccata in substantia à gr. xv. circiter ad drach. sem. maceratur crasso modo trita à scrup. ii. circiter ad scrup. iv. Decoquitur à drach. ii. ad unc. sem. corrigitur flo-

machicis ſed utiliſſimè omnium exhibetur infuſa per noctem in vino generoſo abſynthite.

Ebuli quatuor germina quatuor foliolis conſtantia, in vino, aut jure cocta, olerumque modo ſumpta.

Ejuſdem radix macerata in vino à drach. ii. ad iii.

Ejuſdem ſuccus folior. & fructuum à drach. v. ad unc. i. ex vino potenti, vel jure correcto abſynthio.

Ejuſdem ſaminis pulvis à drach. ſem. circiter ad drach. i. ex eodem liquore.

Succus ejuſdem cum melle inſpiſſatus ad conſiſtentiam ſapæ ab unc. ſem. ad unc. i. per ſe, vel ex vino, aut jure.

Sambucus idem præſtat, iiſdem modis præparatus, niſi quod radicis cortici major ineſt vis, purgandi, quàm aliis partibus,

Lactucæ ſylveſtris ſuccus à drach. iii. circiter ad vi. cum melle aut oximellite.

Ricini vulgaris ſemen decorticatum: datur emulſio à drach. i. ad drach. iii. cum vino, aut jure pingui correcto aliquo aromatico: maceratum verò, vel leviter contuſum à drach. iii. ad vi.

Soldanellæ, ſeu braſſica marina in-

de-

decoctione ex jure pingui à M. i. ad ii. eduntur quoque cimæ, ut ait Plinius idest, teneriora germina olerum more cocta, corrigantur stomachicis.

Ex hac planta fieri potest rude extractum ad usum asservandum, & gratum, si foliorum succus exprimatur, depuretur, condensentur cum macis, & mastichis quarta parte in pilularum massam formetur, vel si inspissetur, cum quarta parte mellis, & octava parte succi absynthii. Cujus dosis erit à drach. i. a drach. ii. circiter.

Vitis albæ (quæ Matthiolo est tertia clematidis species) radix decocta ad unc. sem. circiter in vino pari aqua diluto, corrigitur stomachicis temperatis, ut coriand. aut myrtho.

Valenter purgant Ricinus Americanus à gr. sem. ad gr. i. seu semen maceratur per noctem in vino, vel bibitur seminis emulsio ex jure.

Granum Dendæ Avicennæ, quod circum foranei passim vendunt pro Ricini Americani semine, eadem præstat, ac Ricinus Americanus.

Cataputiæ semina, si majora quidem, à unc. vi. ad x. semina; Si minora ab

viii. ad xv. vel redacta in pil. aut bolos, cum caricis, vel emulsa ex hydromellite, ventriculo valdè sunt infasta, ideoque superbibendum jus alteratum absynthio, & sem. cirri, vel Arantiorum.

Tithymalus Platyphyllus secundum omnes sui partes exhibitus modo, & quantitate dicta de aliis Tithymalis valenter expurgantibus pituitam.

Ex dictis potest præparari jucundus ac utilis syrupus ad usum reservandus, qualis.

℞. *Rad. irid. domest. recent.* unc. iii.
Cucum: asin. in umbra siccat. unc. ii.
Herb. Absynth. Pontici
Origan. an. *M.* i.
Vin. alb. odorif. lib. ii. sem.

F. Maceratio per horas v. postea bulliant lentissimo igne ad consumpt. tertiæ partis. F. Colatura : adde postea.

Mellis despumati lib. i.

Bulliant iterum ad consistentiam dilutioris sirupi, addendo sub finem.

Cinamo. vel sem. Anis. drach. ii. Hujus sirupi dosis erit ab unc. i. ad unc. ii. ad summum.

Extemporaneæ Compositiones fieri po-

poterunt hac ratione:

Potus sit.

℞. *Rad. cucum. asini. crasso modo trite* drach. i.

Absynth. Pontic. comar

Sem. fœnic. vel Anis. vel cinam. scrup. i.

Vini generos. opt. unc. iii.

F. infusio per noctem, mane F. colatura, Colaturæ adde *Oxymel. simpl.* unc. i. Misc. pro potu, potest etiam omitti oxymel.

Pro bolo.

℞. *Succi Irid. condens.* drach. iii.

Comar. absynth. pulueriz. drach. sem.

Sem. Anis. scrup sem.

Caricar. unc. sem. Misc. F. boli.

Pilulæ:

℞. *Sem. Ebuli* scrup. ii. *vel*

Rad. Cucum. Asinin. scrup. i.

Cinamo. scrup. sem.

Trita formentur cum succi Absynth. q. s. F. pilulæ.

Pulvis gratus.

℞. *Rad. cucum. asin.* drach. i.

Cremoris tartari.

Cinnamomi an. sem.

Sacchari fini drach. sem.

M.

M. F. pulvis exhibendus cum jure, aut vino odorato.

Atque hæc sunt Purgantia tantùm per alvum, assumpta per os.

Clysteres purgantes.

QUæ iniiciuntur per clysteres purgantia, duplici fine usurpantur nempe, vel irritandi expultricem valdè sopitam, ut fit in affectibus soporosis, paralysi, & deliriis, unde clysteres acres appellantur, vel trahendi excrementa à longinquioribus partibus vacuationis, aut etiam revulsionis gratia. Ut irritent, parantur modo, & quantitate jam dictis in clysteribus lenientibus, addendo tantùm decoctioni pro clystere communi herbas aliquas purgantes, nempe centaurium minus, gratiolam in causa biliosa; semina Carthami, genistæ folia, pulpam colocynthidis rariori linteolo illigatam, rad. Esulæ, aut cyclamin. in causa pituitosa: Rad. elleb. nigr. in causa melancholia: Folia Ebuli, & sambuci in causa serosa. Verùm ut purgent, & suppleant vicem medicamenti

per os aſſumpti; non debent iniici ultra Menſuram unc. viii. ea nimirum quantitate, quæ etiam per os aſſumi poſſet, & præcedere debet clyſter inteſtina expurgans, quia ſic retinetur pluribus horis clyſter purgans commodèque actuatur à calore inteſtinorum, quantitas tamen purgantium per os aſſumendorum duplicari debet in parandis clyſteribus, quia non ita probè actuantur in inteſtinis, ac in ventriculo v. g. ad purgandam, & revellendam pituitam, ſiet clyſter talis.

℞. *Fol. malv.*
Betæ
Origan.
Chamomil. an. M. ſem.
Pulp. Colocynth. in pot. ligat. drach. ſem.
Sem. Carthami drach. ii.
Aq. fontan. lib. i.

F. decoctio ad conſumpt. medietat. Colaturæ adde.

Recrement. Sacchar. vel.
Mellis unc. ii. *aut* iii. Miſc. pro clyſtere.

Glin.

Glandes acres.

PUrgantia supposita nullam videntur habere per se vim purgandi, hoc est, facultatem tractoriam humores è longinquis ad intestina ducendi, sed tantùm irritandi pigram alvum ad excretionem, quo irritamento aliquando per accidens idem evenit, quod in purgantibus, excrementa scilicet è venis, & partibus distantibus per alvum exturbari, verùm non pharmaci trahentis; sed irritatæ expultricis robore, quam ob causam glandes acriores interdum supplent vicem medicamenti purgantis, & debilibus quibuscunque tutiùs administrantur, quàm clysteres.

Fiunt autem glandes acriores ex melle, aut recremento sacchari ad duritiem cocto, addendo pro singulis unciis à gr. v. ad x. vel colocynthid. scammon. vel ellebor. utriusque, vel lactis tithymal. aut esulæ, & salis alicujus acrioris, puta ammoniaci, vel salis nitri, suppositoriis.

Vacuantia per Vomitum.

HOrum quoque duplex est genus, alia ventriculum tantùm purgant omnis trahendi virtutis expertia, & ad lenitivorum medicamentorum ordinem pertinent: alia superfluitates aliunde ad ventriculum tractas evacuant, suntque cathartica; illa per se vomitum vix provocant, nisi ventriculum offendant valde nauseabundum, sed externo indigent irritamento, gutturis nimirum titillatione, immisso digito, aut penna, hæc per se excitant vomitum absque externo auxilio.

Lenientia per vomitum.

IN *causa calida* aq. tepida, aq. hord. jus pingue, hydrelæum dantur omnia tepida à lib. i. ad ii. adùltis, pueris ab unc. viii. ad lib. i.

In causa frigida tenui decoctum sem. citri, vel arantior. ex jure ad lib.i.cum oxymell. unc.ii.

Lauri foliorum decoctum tepidum ad lib. i.

Nar-

Narcissi radix cocta esa, vel ejus decoctum dicta quantitate bibitum.

Pulvis rad. beton. à drach. i. ad iii. cum jure, & oxymel.

Pulvis rad. peponis à scrup. i. ad drach. i: ex eodem liquore.

Decoctum testudinum veprium ex aqua, vel jure.

In causa frigida crassa. Raphani succus ab unc. i. ad ii. cum jure, & oxymellite.

Nitrum à scrup. i. ad drach. i. cum mulsa, aut jure pingui.

Jus pingue cum oxymell. sumpt. aut mel. cui admixtus sit scrup. i. zingib. vel hyssopi, vel piperis.

Vomitoria purgantia.

QUæ per vomitum purgant, omnia quoque alvum movent, ideòque tunc eligenda in purgationibus moliendis, quando natura magis inclinat ad superna. Triplex autem statui potest illorum ordo, uti etiam per alvum purgantium. Alia sunt benigna, ut quæ à partibus ventriculo circumjacentibus trahunt, minimaque mole-

ſtia ventriculum ſubvertunt. Alia ſtrenua, quæ à longinquioribus partibus efficaciùs trahunt, cum aliquo ventriculi labore. Alia valentia, quæ fortiſſimè trahunt, & materiam valde craſſam, aut in remotiſſimis partibus contentam, magnoque cum conatu ventriculi vomitum cient.

Bile prædominante benigna erunt Frangulæ cortex flavus recens, decoctus cum aqua, vel jure à drach. ii. ad iiii.

Naſturtii hortenſis ſemen in pulverem tritum à drach. ii. ad vi. bibitum ex aqua.

Strenua erunt. A triplicis ſemen in pulverem tritum à drach. i. ad drach. ii. ex jure pingui alterato coma abſynthii.

Chamęceraſus montana Geſneri, quam Tragus halimum facit à v. ad viii. circiter ceraſa devorata, præſertim ſuper. bibita aqua, aut jure tepido.

Aſari radiz æqualitèr fere trahit bilem, & pituitam. Maceratur à drach. ii. ad v., in ſubſtantia pulveriſata datur a drach. i. ad drach. ii. ex aqua, vel jure.

Va-

Valentia sunt, Mandragoræ radicis succus a scrup. sem. ad scrup. i. ex uno mulso, & cautè agendum, periculi enim non est expers.

Pituita prædominante benignè vanando, Agaricus non præparatus à scrup. ii. ad drach. ii. ex jure pingui cum oxymellite.

Coluteæ Vesicariæ semen datur in substantia a drach. i. ad ii. Maceratur à drach. ii. ad unc. sem. corrigitur vino aromatico.

Coluteà scorpioidis semen idem præstat.

Genistæ hortensis flores, & ramuli virentes à drach. ii. ad unc. sem. ex jure macerantur, aut decoquuntur.

Spargulæ semen in pulverem tritum a drach. ii. ad iiii. ex mulsa, aut jure cum oxymellite.

Strenuè vacuant pituitam prædominantem. Staphidis agriæ semen ad drach. i. sem. circiter tritum ex copiosa mulsa Superbibendum est jus pingue, donec vomitus sequatur, ne ex nimia medicamenti mora ventriculus inflammetur.

Tithymali cujuscumque recentia fo-

lia

lia cocta cum mulsa a drach. i. sem. ad iiii.

Tabaci Folior. succus a drach. i. ad ii. cum jure alterato sem. citri, vel arantiorum.

Vitriolum album a drach. sem. ad drach. i. exjure.

Valenter vacuant pituitam. Anagyris semen tritum à drach. sem. ad drach. i. Ejusdem cortex siccatus, & in pulverem tritus idem præstat, sed paulò inefficaciùs.

Quæ ex his componuntur ejusdem ferè sunt formulæ, verbi gratia.

Pro Bile.

℞ *Aq. bordei* lib. i.
Ol. benè matur. unc. ii.
Rad. Asari pulveris drach. i.
Misc.
pro potu:

Pro pituita.

℞ *Juris alterati sem.* citri, vel arant. lib. i.
Oxymel. unc. ii.
Suc. Rhaphan. unç. i.
Agar. crud. scrup. ii. Misc. F. potus.

Si placet sirupum vomitivum pro usu componere, talis esse potest.

℞.

℞. *Ramulor. viridium genist.*
hortens. unc. i. sem.
Fol. lauri.
Tabaci. an. M. i.
Sem. citri, vel Arantior. crasso
mod. contus. drach. ii.
Aq. commun. lib. ii.

Bulliant ad consumptionem medietatis. F. Colatura.

Colaturæ infunde per horas xii.

℞. *Rad. Asari.*
Agaric. crud. an. drach. iii.

F. rurs. colatura, & clarificat. adde.

℞. *Mell. despum.* lib. i.

Coqu. lento igne ad consistentiam sirupi, cujus dosis sit ab unc. sem. ad unc. i. exjure, & aqua tepida.

Hujus generis erit hoc Electuarium admodum efficax.

℞. *Rad. Asari.*
Agaric. crud. an. unc. sem.
Rad. betonic.
Pepon. an. drach. ii.
Cinamo. drach. i.
Sem. Anis. drach. sem.

Trita in subtilissimum pulverem excipiantur.

Mel.

Mellis despumat. unc. iiii. & F.Electuar.

Cujus dosis erit à drach. i. ad drach. ii. circiter ex quocumque liquore grato.

Melancholia, & atra bile prædominante. Strenua tantum, & valentia conveniunt. Quia humor suapte natura gravissimus paulò ægrius ad superna trahitur, quam alii humores.

Strenuè autem vacuant. Antimonium præparatum. Facillimè præparantur flores, calx, & vitrum, paulò difficiliùs tinctura, & oleum, quod in frigidam præcipitatum abit in candidum pulverem flori non absimilem. Dantur hæc omnia in substantia quidem à gr. iii. ad vi. ex panatella, ptisana, conserva stomachica, vel vino aromatico correcto absynthio, roremarino, aliisque stomachicis subastringentibus: Macerantur à gr. iiii. ad x. potissimum in vino generoso, aut absyntite. Ex hoc fit præstantissimus sirupus omnium antimoniatorum medicamentorum placidissimè vacuans per superna, & inferna sic.

℞. *Flor. aut vitri Antimon.* drach. i. sem

Vi-

Vini albi generos. lib. i.

F. infusio per dies duos naturales, facta colatura adde.

Mellis despumat. unc. x.

Coquantur ad sirupi consistentiam: cujus dosis erit ab unc. sem. ad unc. i. sem. circiter per se, vel ex quocunque liquore ratiori.

Valenter vacuant: Ellebori albi radix præparata, idest emedullata, atque per diem in aceto rosaceo macerata, rursusque in umbra siccata ad usum loco aceti rosati substituatur acetum cydoniorum, quod melius est, vel aliud alteratum aliquo stomachico frigido, & adstringente, datur à scrup. sem. ad scrup. i. non in substantia, ne os ventriculi convellatur, sed in infusione, quæ fit dupliciter. Prima est veterum, qui radiculas ellebori raphano infixas per noctem servabant, postridie raphanum exprimebant, succique unc. i. porrigebant cum ptisana, cujus loco sumi potest panatella liquidior ad humiditatem oris ventriculi, ne convellatur.

Secunda priori melior & gratior est ut scrup. sem. rad. insigatur frustulo ma-

mali cydonii, & in eodem coquatur, postmodùm extractis radicibus datur comedendus ille bolus, vel expressus ex eo succus diluatur vino, aut jure pingui alterato sem. citri, deturque hauriendus. Redditur elleborus albus longè mitior, si radixemedullata post debitam infusionem sinatur aliquandiu bullire in aceto, deinde verò siccata servetur ad usum.

Serositate prædominante benigna censebuntur, succus rad. ebuli à drach. i sem. ad iii. cum jure pingui alterato coma absynthii.

Succus corticis rad. sambuci idem præstat eadem dosi.

Sambuci aquatici baccæ ad drach. ii. Superbibendum jus pingue modò dictum.

Strenua: cataputiæ folia sursum evulsa dantur à drach. i. ad drach. i. sem. ex eodem jure.

Valentia Elaterium ob insuavitatem in pilulis, vel bolo sumptum. Vulgo miscetur pilulis aromaticis. Misceri potest pulpæ caricæ cum portione absynthii, quod fit per expressionem.

Fructus cucum, agrestis datur à gr. iii.

ad x., quod extillat ex fructu tantummodo puncto à gr. ii. ad vi.

Vacuantia per urinam, qua non solum viæ renum, & vesicæ, sed etiam totum corpus venarum, & arteriarum beneficio expurgatur, fiunt ex medicamentis diureticis, quorum aliqua sunt propriè talia calida, & sicca, acriaque, & tenujum partium, alia impropriè talia, remissum habentia calorem, aut etiam ad frigidum vergentia, partium tamen tenujum. Quibus utendum magis est in febribus, renibus, & jecore calidioribus, nisi fortasse præsentia corrupt., & venenatæ materiæ in venis citissimam urgeat vacuationem, quæ meliùs, citiùsque perficitur diureticis propriis, & calidioribus. Præcipua, magisque obvia in utroque genere suntista.

Propriè diuretica. Asparagus uterque, præcipuè radix, Apii semen, seu seseli vulgaris radix & semen, cardui cujuscunque radix, & sem., cumini sem., eryngii cujuscunque radix, fœniculi radix, & semen, Irionis utriusque sem. Lauri folia, baccæ, rad. cortex, Mentha sylvestris, napi sem onocidis acu-

lea-

leatæ radix, pulegium, petroſelini communis omnes partes, raphani utriuſque cortex, rubiæ radix, ruſci turiones aſparagi, & radices, Satureja, ſerpillum. Semina dantur in pulverem trita à drach. ſem, ad drach. i. (idem intelligitur de medicamentis impropriè diureticis.) alia v. decoquuntur ex aqua, vino, & omnium commodiſſimè ex jure cicerum. Datur tamen etiam radicum pulvis, præcipuè lignoſarum, ut Ononidis, & lauri. Ex his aliqua ex tempore componi poſſunt.

Efficaciſſimus eſt hic pulvis.

℞. *Rad. Ononid.* drach. ii.
Sem. Irion.
Bac. Laur. an. drach. i.
Cinamom. drach. ſem.

Miſc. F. pulvis: datur ad ſcrup. ii. circiter ex vino, aut jure cicerum calido.

Jucundior fit, ſi infundatur per noctem, tum facta unica ebullitione, & colatura ſumatur, abjecta pulveris fece. Reddetur medicamentum adhuc efficacius additis aliquot guttulis liquoris, quem præbet ſal in excavato raphano detentus in loco humido, do-

nec ſolvatur.

Pro illitione pubis tale oleum paratur extemporaneum, quo adjuvatur urinæ excretio.

℞. *Fol. Lauri.*
Mentaſtri.
Serpil.
Puleg. an. M. i.
Chamomil. M. ſem.
Cort. Rad. Raphan. unc. ſem.
Sem. Cumini. drach. ii.
Ol. communis lib. i. ſem.
Vini alb. lib. i.

Fiat infuſio per 4. horas, poſtea coquantur ad humiditatis conſumptionem, & F. Expreſſio cum colatura.

Fit quoque Emplaſtrum ex diſſecto raphano decocto cum foliis petroſelini, apii, & pulegii, dein ſimul contuſo, & admoto pubi.

Impropriè diuretica. Sem. cucurbit., cucum. citrul. melon. (inde fiunt emulſiones.) malvæ, milii ſolis, fructus alkekengi, nuclei ceraſorum, oſſicula mespilor. avellanar. longiorum cortex abjecta interiori pellicula, Limonum maturorum aciditas, folia, & caulis fragariæ, capil. Vener., pariet-

tar.

tàr. tribuli utriusque, radices gram. maximè arundinei, liquiritiæ, quinquefolli, & raphani decorticati, datur utiliter jus cicerum rubeor. cum quatt. i. succi limonis habetur pro secreto hic potus.

℞. *Succi parietar. depurat.* unc. iii.
Juris cicer. rub. unc. iiij. Misc. pro potu.

Ejusdem generis censetur & iste.

℞ *Rad. liquirit.* unc. sem.
Aq. communis lib. sem.

Bulliant lento igne ad consumptionem medietatis. Colaturæ adde:

Succi limonum unc. i. misc.

Dantur quoque utiliter pro citissimo remedio, succi raphani unc.ii. ex vino albo calido.

Exteriùs admovetur vulgare, & optimum Emplastrum ex fol. parietar. solis, vel cum raphano trito, frixis in sartagine cum butyro, aut oleo, & calidum pubi ad motum, si anethinum ol. aut chamomæli præsto sit, præferendum communi.

Vacuantia per sudorem.

ET hæc duplicis sunt generis: alia propriè sudorifica, quæ materiam fundunt, inque halitum vertunt; alia improprie talia, quæ materiam facilè convertibilem in halitum præbendo, per accidens provocant sudorem, valdè consentanea variolis incipientibus, calidioribusq. affectionibus cutaneis, & febribus putridis inclinante naturæ motu ad cutem.

Propria, decoctum ahi, ligni buxi (quo lues Gallica æquè curatur, ac Guajac.) chamedrios, chelidonii majoris, card. bened. lign. Juniper. laurin. & Myrrhidis dantur ab unc. iiii. ad viii. circiter, fiuntque efficaciora decocta ex mulsa, & vino albo.

Eadem decocta depurata, & lento calore inspissata præbent rudia extracta danda ad drach. j. circiter, vel diluta vino generoso, aut decocto impropriè sudorificorum calidiorum, vel formata in bolum, aut pilulas, quibus unc. iii. circiter decocti superbibant. E. G.

In

In affectibus articulor. & nervorum ex frigido catarrho tale fiat decoctum.

℞. *Ligni Laurin.*
Buxi. an. unc. i. sem.

Conscindatur minutim, & infundantur per diem in Aq. communis lib. v. deinde adde.

Fol. Betonic.
Chamaedr.
Ivae an. M. i.

Bulliant lento igne ad consumpt. tertiae partis, & F. colatura pro 5. vicibus.

Impropriè sudorifica decoctum chamaeneli, cerefol., fumar. hord. non decorticat. millii, lentium leviter coctar. rad. lupulor. pentaphyl. tormentil. fol. pimpinel. vulgar. scabiosae, & violae matronalis.

Huc pertinet vulgaris syrupus Sancti Ambrosii vocatus, ex una parte vini, & duabus decocti milii.

Alia ex tempore componi possunt. E. G. in affectu cutaneo tale fit decoctum,

℞. *Fol. Scabios.*
Fumar. siccae, an. M. i.
Rad. Lupulor. unc. sem.

Aq. hordei lib. i. sem.

Coq. lento igne ad consumptionem ferè dimidiam, & F. Colatura pro potu uno.

Apparentibus variolis.

℞. *Fol. pimpinel.* M. i.
Scabios. M. sem.
Primæ decoct. lentium lib. i.

Coq. ad consumptionem 3. partis, & F. colatura pro uno haustu.

Dantur autem horum omnium decocta in majori quantitate, quàm proprie sudorificorum, nempè ab unc. viii. circiter ad lib. i.

Sciendum verò est, vix provocari sudorem jam dictorum medicamentorum opera, nisi illorum vis ad cutim contrahatur remediis trahentibus, quorum etiam beneficio laxantur pori cutis, & ad sudorem præparantur. Itaque sesqui horæ spatio circiter à sumpto sudorifico, vel collocandum est corpus in laconico, vel balneo calido naturali, aut artificiali, vel stragulis benè tegendum, vel admovendæ tegulæ calentes, aut vasa aqua calente plena, vel fricanda etiam leniter cutis, aut variis partibus admovendæ cucurbitulæ non sacrificatæ,

tæ, prout necessitas magis postulare videbitur.

Vacuantia per sputum.

Quæ viarum spiritualium infarctum expediunt, ab officio Expectorantia dicuntur: quæ omnia triplici differentia comprehendi possunt.

Alia enim conveniunt sputo crasso, incidentia nimirum, & detergentia. Alia sputo tenui, ac insipido, siccantia nempè, & quadantenus incrassantia. Alia demum sputo salso, scilicet contemperantia, vel etiam erosionem impedientia.

Conveniunt ergò pro Lambitivo in sputo mediocriter crasso aqua mulsa, oxymel, mel crudum, decoctio caricarum, liquirit. siliquar. passular. addita portione farfaræ, pulmonar. aut scabios. Harum etiam herbarum pulveres misceri possunt oxymelliti ad consistentiam eclegmatis, seu mollioris electuarii, qua forma etiam utiliter usurpatur pulv. rad. ireos cum oxymellite mixtus.

Sputo admodùm crasso conveniunt decocta botryos, enulæ, hebysari, hyssop.

prassii, satureiæ, thymi, Aristol. long. Harum pulveres utiliter miscentur oxymelliti pro lambitivo, vel excipiuntur melle in forma electuarii, vel componitur mulsa, vel oxymel dictarum herbarum incoctione, quemadmodum maceratione earumdem præparari quoque solet vinum Hyssobites, & Enularum veteribus familiare.

Vulgus utile Electuar. parat, ex rad. Enulæ cocta in aqua (præstaret accipere mulsam, aut vinum dulce) & per setaceum transmissa, deinde excepta duplo mellis despumati, & cocta ad justam crassitiem.

Præter hæc singulartier prosunt sulphuris pulvis, vel flos mixtus eclegmati, vel ex ovo sorbili quotidie sumptus. Urticæ sem. mixtum lambitivis. Aqua vitæ cum tertia parte sacchar. pastata, vel mixta exymeliti. Pulvis pulmonis vulpis à drach. sem. ad drach. j. ex vino, vel mulsa potui, vel eclegmati mixtus.

Crocus è scrup. sem. ad i. cum vino bibitus.

Millepedes vino abluti, & ad drach. i. infusi per noctem in vino albo, deinde

de expressi, & hausti abjecti fece.

Resina laricina, & abjetina devorata in bolo, vel delincta pro delinctu solvenda est melle despumato, nam optimè miscetur melli.

Præstantissimum parati potest balsamum in hunc finem.

℞. *Ol. benè matur.* (pro divitibus sumendum est
Ol. amygd. dulc.) *non rancid.* lib. sem.
Vini albi dulcis onc. iiij.

Bulliant ad consumptionem humiditatis: deinde adde
Flor. Sulphur. unc. iij.

Agitentur continuè, & leniter ad lentissimum ignem, floribusque jam dissolutis adde
Resin. Laricinæ, vel abientinæ, aut si haberi potest
Lacrym. abjetin unc. ii. sem.

Misc. usq. ad perfectam unionem. Potest misceri lambitivis, & internè sumi cum dictis decoctionibus, aut vino albo.

Cæterùm, ut facilius procedat sputum, necusu dictorum medicamentorum nimiùm exsiccetur crassus humor,

consultum est, semper permiscere aliqua emollientia, & laxantia, qualia sunt pro lambitivis, & usibus internis liquirit. rad. & succus, passulæ, rad. malvæ, & Althææ.

Exterius juvat illitio pectoris butyro maximè rancido solo, vel mixto muccilagini malvæ, & althææ.

Prædicatur fomentum ex folio brassicæ butyro probè illito, & pulvere cumini asperso, calidoque admoto pectori.

Sputo tenui, & insipido verò conveniunt dec. Aristoloch. rot. jujub. prunor. sylvest. virgæ aureæ, nummular. Veronicæ; succus granat. subacidorum per se, vel modico mellis.

Eclegmata quæcunque ex amylo, gummi Arabico, Tragacantha, terra sigillata, quæcunque medicata cum melle, vel oxymellite admixta portione sulphuris, vel myrrhæ, vel Aristol. rot. Cremor. ptisanæ cum portione amyli.

Sputo salso conveniunt, Decoctio hordei, jujubar. liquirit. potulacæ, prunor. dulc. maximè exjure pedum, & capitum vituli, hædi, agni, item cochlear, & testudinis nemoralis.

Emulsio amygd. dulc. & sem. 4. frigid. majorum præcipuè addita farina amyli: ptisanæ cremor, vel panatella cum iisdem emulsionibus, addita etiam emulsione seminis papaver. albi urgente salsedine; succus prunor. dulcium delinctus.

Butyrum recens, tum delinctum, tùm ferculis additum, tum pectori illitum.

Si placet Syrupum componere ad hunc usum.

℞. *Succi pomor. dulc.*
Succ. vel decoct. portulac. an. lib. sem.

Depuratis adde.

Mellis despumat. unc. x.

Bulliant ad sirupi consistentiam. Cujus usus erit pro Eclegmate, & sirupis.

Vacuantia per Palatum.

CAput triplici ratione vacuatur per os mediantibus palati ductibus, nempè masticatione, gargarismo, & palati illitone.

Pro masticatione in causa calida con-

ve-

uenıunt charta, præsertim bibula, caricæ, amygd. amar. vel nucl. persicor. uvæ passæ, mali citrii frustum integrum Arantii cortex.

In causa frigida conducunt radices cyderi, acori, Angelicæ utriusque, valerianæ sativ. Imperator. sem. fœnic. anis. sesel. siler. mont. gran. Junip. bac. lauri, & folia teneriora.

His valentiora sunt, atque intensæ frigiditati conveniunt folia iberidis, hydropiper. Lepidii, nastur. hortens. satureiæ, hyssopi montan. puleg. silvest. rutæ sylvest. rad. pyreth. sem. thlaspios, sinapi, staphid. agriæ, quæ ut faciliùs terantur, dentibus excipi debent mumento ceræ flavæ, & in morsellos formari.

Pro Gargarismo, cui est locustantům in causa frigida conveniunt decoctiones calaminthæ, chamædrios, hyssop. fol. lauri. lavendul. major. puleg. serpil. & spicæ Italicæ, quæ partim gargarisantur, partim calidæ ore detinentur.

Valentissimi Gargarismi fiunt ex decoctione herbar. pro valentioribus masticatoriis proposítar. maximè si addatur portio aquæ vitæ, vel e vulgaris diasi-

ua-

napi, quod Mostardam Itali vocant.

Propalati illitione, quæ etiam locum tantum habent in causa frigida, conveniunt jam dictæ decoctiones cum melle ad sirupi consistentiam inspissatæ.

Præterea Aq. vitæ, mostarda vulgaris vel Electuarium aliquod molle ex dictis paratum v. g.

℞. *Baccar. laur.*
Junip. an. unc. ij.
Sem. Sinap.
Herb. saturei. an. M. i.
Sem. Anis.
Fænicul. an. drach. i.
Rad. Acor.
Imperat. an. drach. ii.

Trita, & cribrata excipiantur Mellis despum. lib. ii. F. El.

Vacuantia per nares.

PUrgantium caput per nares, quædam sua acrimonia sternutamentum excitant, convenientia humori valdè crasso, & impacto, nec non sopitæ expultrici. Quædam sine sternutamento humorem provocant: inter quæ

alia

alia tutò adhibentur, etiam capiti ad calidum inclinanti., alia conveniunt tantùm humori, & capiti frigidiori.

Sternutamentum excitant insufflati pulveres omnium propositorum pro valentiori masticatorio, ac praeterea attractum naribus decoctum nigellae, & ellebor. nigr., succus item rad. cyclaminis, bryoniae, & elaterium aliis liquidis nasaliis dissolutum. Idem praestat, sed paulò mitiùs radix cyclaminis turundae forma indita naribus, & cortex Arantii inditus.

Sinè sternutamento caput etiam calidius vacuabitur decocto, vel succo Malvar. bliti; praecipuè alb. fol. betae, & brassicae, aq. hordei, rad. betae, naribus indita, maximè verò si contabuerit in aq. tepida, item illitione narium butyro recenti.

In causa frigida conveniunt decoctiones, vel succi anagallidis, bèton. rad. betae cand. chelidon. mai. hederae murah. hyssop. hortens. rad. iridis recent. majoranae, salviae, Tabaci.

Indi solent quoquè naribus forma turundae rad. cyclam. & Iridis oleo, vel butyro peruncta, vel in aqua prae-

mà-

maceratæ, quando sternutamento non est opus.

Præterea convenit fumus dictarum herbarum exsiccatarum, præcipuè majoranæ, hyssopi, thymi è tubulo haustus, quo excipi solet fumus Tabaci Indici. Ex his componi possunt Errhina v. g.

℞. *Succ. Rad. ireos inspiss.*
Succ. flor. hederæ inspiss. an. unc. ii.
Pulv. majoranæ vel Thymi drach. i.
Buthyr. recent. unc. sem.
Misc. F. Linimentum.

Quo illinatur turunda ex gossypio indenda naribus, vel,

℞. *Succi bliti per filtrum depurati opt.* unc. iiii.
Agarici crassè triti drach. i.

F. Infusio per noctem. Postridiè F. colatura, quæ tepidè naribus hauriatur. Vacuat caput ad stuporem absque insigni agitatione.

Vacuantia insensibiliter.

HOrum materia latissimè patet. Omne enim calidum rarefaciendo, & in halitum vertendo insensibiliter vacuat, imò omnia sicca humi-

di-

ditatem cohibendo, omnia que adstringentia, eandem exprimendo, hoc genere vacuantium censeri possunt. Propriè tamen hoc nomen merentur Digerentia, quæ humorem in halitum lentè vertant: Discutientia, quæ confertim id agunt, & flatus etiam crassos dissipant. Rubificantia, quę validissimè utrumque præstant, validoque calore materiam intus latentem etiam non probè attenuatam dimovent, & ad cutim trahunt.

Digerentia.

INter quæ maximè obvia sunt; Absynthium, Anethum, apii omne genus, chamæmel cotula fætid. fænugræci arundinis radix, lilii albi rad. & flor. lini semen, melilotus, rosmarin. verbascum, vinum potens maxime vetus, quæ dari possunt forma decoctionis, sirupi, electuarii.

Ex iisdem parari possunt per decoctionem olea, & fomenta pro usibus externis, quibus etiam addi possunt sequentia internè non exhibenda, velut rad. cyclam. cucum. asin. asfodeli, fol. ebuli, sambuci: alumen, nitrum, vi-

trio-

triolum, ſal commune.

Per ſe quoquè admoventur externè pro illitionibus butyrum rancidum, maximè ſalitum, oleum vetus ſalitum.

Pro ſomentis aq. calcis vivæ, aq. thermalis calida, aq. dulcis, bene calida, lixivium forte, vinacia calida, luta thermarum calidarum, & earum foveæ, arena fervens, cinis calens cum, vel ſinè furfure, & ſale ſacculo incluſus.

Pro Emplaſtris: cochleæ tritæ cum puramine.

Caſeus antiquus cum decoctione carnis ſalitæ, præcipuè ſuillæ, contuſus informam Emplaſtri.

Farina fabarum vino excepta, vel decoctione jam dictorum, addito ſi placet oleo & oxymellite, vel melle.

Privatim ad abſumendum lac citò, & abſque periculo, ne grumeſcat in mammis, habent iſta proſecretis molieres, quæ lactare nolunt, vel non poſſunt, folia viridia nucis juglandis in ſinu geſtat.

Linimentum ex æqua portione mellis, & reſinæ linteolo continuè admotum.

Cataplaſma ex farina fabar. cum oxy-

oxymellite, & decoctione petroselini, vel decoctione Malvarum ex Aceto.

Fomentum ex æqua portione decoctionis petroselini, & aceti fortissimi, addito croci momento.

Discutientia.

EX his faciliora parata sunt agni casti semen, & flores (quorum maceratione fit, oleum colico dolori appropriatissimum (allium, angelicæ utriusque radix, & sem. Anis. sem. Arantior. & citrii, eorundemque cortex; calaminthum quoquè, præcipuè montanum, semina cumin. carvi, dauci, fœniculum, hyssopus, imperatoriæ radix, juniperi baccæ, & lignum, lavendula, lauri, & baccæ colicis, & uterinis doloribus appropriatæ, Lupini, Major mentha sicca, ocymum, origanum, polium, pulegium, ruta, satureja, serpillum, spica Italica, thymum. Quæ omnia dantur sola, vel mixta forma decoctionis, sirupi, Electuarii: vel eorum pulveres ad drach. i. bibuntur ex vino, aut cibis aspergantur.

Huc

Huc pertinent aq. vitæ, & vinum vetus, quod veteres dare solebant cum pipere, crasso modo trito.

Parari potest vili pretio tinctura efficacissima, cujus una, aut altera guttula ex jure bibita, vel vino, potenter discutit flatus, & cavo dentis à causa frigida dolentis indita vel etiam admota dolorem sedat.

℞. *Piperis nig. crasse triti* unc. iii.
Aq. vitæ opt. lib. i.

Inde phialæ angustioris colli, & probè opturatam serva per octiduum in loco calido. F. Tinctura rubicundissima servanda in vitro optimè clauso.

Si placet vinum Hippocraticum simile conficere tale præparari potest.

℞. *Sem. Anis.*
Fœnic. an. drach. ii.
Rad. Angelicæ
Acori.
Imperat. an. sem.
Fol. Calament. mont.
Lavend.
Major.
Menthæ siccæ an. M. i.
Bacc. Lauri unc. i.

Omnia crasso modo trita indantur

co-

colo, per quem tranſcoletur vinum album generoſum, toties iterata colatura, e donec materia odorem, & acrimoniam perdidiſſe videatur. Hujus vini ſumatur unc. ſemis adunc. i. aut ii. per ſe vel cum alio quocunque liquore.

Exterius fieri poſſunt fomenta ex dictarum herbarum decoctionibus. Sed efficaciſſima ſunt ſuffomigia procurata extincto lapide pyrite, vel molari in iiſdem decoctionibus. Fiunt a. efficaciores decoctiones ex vino potenti, lixivio forti, & aquis ſulphureis naturalibus.

Eſt etiam efficax ſacculus ex milio torrefacto, flor. chamomil.; & ſem cumin. vel rutæ foliis, quo dolores à partu inſigniter demulcentur.

Sunt, qui extollunt colocynthidis pulpam cum adſynthii tertia parte ſacculo incluſam.

Pro ſecreto habetur ad ſiccandum ventrem aqua turgidum Emplaſtrum ex æqua portione fol. rutæ, & apynthii contuſorum cum melle ad formam cataplaſmatis.

Optimum eſt etiam fomentum ex aq. calcis vivæ extinctæ aq. ſulphurea Thermali *Pro*

Pro illitionibus extemporanea parabuntur medicamenta, qualia olea ex dictis herbis parata per decoctionem E. g.

℞. *Baccar. laur.* unc. i.
Fol. rutæ M.i.
Ol. commun. lib. ſem.
Vini generoſi vel lixivii fortis unc. iii.

Baccis craſſe tuſis, foliis verò concisis, F. infuſio per hor. iii. deinde bulliant ad conſumptionem humiditatis, & F. colatura.

His omnibus addenda eſt cucubrbita magna cum multa flamma, a inflatæ parti admota, cui in diſcutiendo flatu vim incantamento ſimilem tribuit Galenus.

Aliquando etiam ſinè diſcuſſione, extrahuntur è corpore flatus quibuſdam inſtrumentis chirurgicis, citiſſimè agentibus. Sic flatus inteſtina craſſa diſtendentes extrahunt immiſſo (poſt redditum clyſterem feces educentem) ſyphone vacuo, & extrorſum tracto.

Hippocrates follem fabrilem uſurpavit.

Eadem ratione flatus uterum replen-

tes

tes, beneficio ſiphonis, ſubtile, & oblongum collum habentis, facilè extrahi poſſunt.

Rubificantia.

RUbificantia ſic dicta, quod inſignem ruborem cuti afferant, digerentibus, & diſcutientibus fruſtra tentatis, tandem uſurpantur, ut ſæpè uſuvenit in antiqua Iſchiade, & dolore capitis gravativo pertinaci. Applicantur autèm cuti forma cataplaſmatis trita, vel per ſe, vel cum aceto calido, ſuntque ſequentia magis vulgaria. Allium, arum, dentilaria, hydropiper, iberis, lepidum, pulegium ſylveſtre, ſinapi, ſtaphiſagria, ranunculus vulgaris. Fit etiam cataplaſma per ſe ex ſimo columbino, vel anſerino, vel ex pice arida liquata in quarta parte olei alicujus calidi, puta laurini, vel rutacei, parti ſepiùs ad mota, & viciſſim avulſa, donec pars primò rubeſcat, deinde leviter intumeſcar, & rurſus ſubſideat; nam ſi ad ruborem uſque partis tantùm ſinetur, habet potius rationem remedii calefacientis, & renu-

tri-

tritionem membri adjuvantis,quàm insensibiliter evacuantis. Ideo in ventriculo frigido, & ficco, membrisque paralyticis, & extenuatis habet singularem usum post debitas corporis evacuationes.

Hæc de medicamentis materiam copia peccantem respicientibus.

Augentia materiam necessariam deficientem.

DEficiunt aliquando humores boni, & quædam ex illis orta, quæ omnia per se augentur opera naturæ probum alimentum immutantis per accidens autē producuntur beneficio medicamentorum impedimenta removentium. Itaque omnia calorem roborantia,& æquantia intemperies humorum, & viscerum per accidens augent sanguinem, quorum enumeratio petenda est inter alterantia. Eadem ratione generantia lac, & semen, quorum alterum ad fœtus editi in lucem nutritionem, alterum ad generationem est necessarium. Propriè ad alimente pertinent, cum utrumque ex sanguinem or-

tum trahat. Impropriè tamen illa quoquè medicamenta dici possunt, augere lac & semen, quorum beneficio sanguis facilius, copiosiùsque in utramque naturam facessit.

Lac augentia.

LAc augentia ergò dicentur etiam, quæ impurum sanguinem emendant, fluxilem reddunt, fundunt ad ubera, impellunt, & trahunt.

Emendant ergò purgantia humores pravos, quibus contaminatur sanguis, deinde excedentes sanguinis qualitates æquantia.

Qualia sunt in habitu calido aq. hordei ex jure, jura alterata lactuca, malva, polygono virente, & soncho.

Præfertur lacteus sonchi, & Taraxaci succus juri mixtus ad cochlearia. ij. vel. iij.

Datur utiliter pro secreto ex aliquo horum decoctorum pulvis crystalli naturalis à drach. sem. ad drach. j.

In habitu frigido decoctum valet, præsertim ex jure, summitat. anethi, siccati. sem. anis. recentium, Erucæ dome-

mesticæ, fœniculi, polii recentis, porri ex aqua decocti.

Fundunt, & proprietate quadam ad ubera impellunt jura alterata anetho, virente apio, & petroselino recente, cicere, cytiso cujuscunque generis polygala vulgari, & vinca pervinca.

Attrahitur sanguis ad ubera suctione frequenti, frictione molli, & fomentis laxantibus, qualia optima fiunt ex vino albo calido, item decoctione chamæmeli, & Anethi recentis; uti & malvar. sem. lini, Rad. Alth., sive decoquantur ex vino, sive ex aqua.

His non proficientibus, admovenda sunt rubificantia usque ad mammarum ruborem.

In hunc finem olim apud Cretenses percuti, contrectarique solebant ubera fol. urticæ recentibus cujus usu frequenti fama est, etiam masculina ubera excrescere consuevisse, ut lactationi idonea evaderent.

Inter alimenta viliora plurimum lactis generare creduntur, ova gallinarum, vinum album, oryza cum lacte cocta, pulmentum ex polline farinæ, & lacte, aut jure, Item pulmen-

tum ex polline farinæ,& vino albo additis vitellis ovorum, & butyro; sed gratius fit ferculum addito, loco farinæ, saccharo.

Semen augentia.

SEmini augendo conveniunt in primis illa alimenta, quæ vi medicamentosa calidos, tenuesque flatus ad erectionem virgæ facientes movent.

Utilia sunt Caro Anatis, anseris, cum allio præcipuè elixata, cerebra bubula, & suilla pipere, & sale condita, jus bubulæ coctum cum mentha viridi, aut eruca, succus expressus ex pulmone arietis assati, ova cyprinorum ex butyro frixa, pisces ostreacei cujuscunque generis pipere conditi, polypi, sepiæ, & cancri eodem modo conditi. Tubera quoquè condita pipere, & sale.

Inter legumina habentur cicer album, fabæ, & phaseoli.

Inter fructus: Avellanæ maximè recentes, castaneæ, mala insana oleo, sale, & pipere condita, poma dulcia, & uva pensilis.

In-

Inter herbas allium virens adhuc tenellum, cinara, asparagi.

Cepa tenella, præsertim Ascalonia, Eruca, horminum, napi, rapæ, pastinacæ, & selini vulgaris radix cum pipere, & sale.

His efficaciora censetur radix crassior satyrii cujusque, genitale tauri, & cervi, testes apri, vulpis, & verris venerem experti vino albo loti, & in furno siccati. Horum pulvis, vel mixtim, vel sigillatim bibitur ex vino albo ad drach. i.

Efficacissimus, & paratu facilimus est hic pulvis.

℞. *Genitalis Tauri*.
Borac. officin. an. drach. iii.
Rad. crassior. satyrion. drach. ii.
Zingiber.
Cinamo. an. scrup. i.
Croci scrup. sem. Misc. F. pulvis subtilissimus.

Cujus exhibeatur mane, & post cœnam drach. i. ex tantillo vini generosi.

Alterantia causam morbificam.

CAusa morbifica multifariam peccat, qualitate manifesta nimirùm, & occulta. Hæc postulat alexipharmaca; illa, vel est prima, quam corrigunt medicamenta calida, frigida, humida, sicca; vel ex primis oritur, crassities nimirum, tenuitas, lentor, durities, ex siccitate, & concretione, nec non acrimonia; quibus opponuntur attenuantia, incrassantia, incidentia, detergentia, emollentia, grumosq; dissolventia, & demulcentia, quæ primas qualitates corrigunt, atque inde ortam crassitiem, tenuitatem, & lentorem concoquentia; & præparantia dici consueverunt, quia excedentium qualitatum æquatione humores à naturali calore faciliùs vincuntur, & si qui ad concoctionem planè sunt inepti, ad expulsionem minimè laboriosam idonei redduntur. Alia, quæ tollunt acrimoniam, & duritiem, non modò inserviunt humorum præparationi, sed etiam partibus exasperatis, & indura-

ra-

ratis, quemadmodum etiam lentorem detergentia conveniunt plurimis aliis usibus, uti fœditatibus cutaneis, sordidisque ulceribus. Ideo sejunctim enumeranda sunt post præparantia humores.

Bilem præparantia.

SI bilis tenuis sit, ac fervida, conveniunt hordeum, lactuc. portul. nymph. viol. purp. Horum decoctiones ab unc. viii. ad lib. i. circiter.

Efficaciora sunt succus fructuum berberis, granat. acidor. ribes vulgar, & omphacium benè depuratum, quæ addi possunt dictis decoctionibus ab unc. i. ad ii.

Extremum remedium est serum depuratum cum emulsionis drach. j. circiter sem. papav. alb. vel solanum hortense, & sempervivum majus additum decoctionibus.

Adultioribus, sirupis in hoc casu abstinendum.

Si crassior sit bilis, vel adustione, vel crassiorum humorum permixtione, conveniunt attenuantia frigida, vel tem-

temperata, qualia acetosa, succus citri. limon. Arantior. maturor. chondrilla, cichoreum cap. ven. recens, Endiv. fragaria, hepatica, Hieracium, Lapathum quodcunque, scariol. sonchus, taraxac. trifol. acetos. sem. mel. citrul. cucurbit. cucum. unde fiunt Emulsiones.

Ex herbis dictis fiunt decocta ex jure carnis, vel aq., quibus addi possunt unc. ii. circiter emulsionis dictorum seminum, vel succorum citri, limonum vel arantiorum.

Dantur quoquè herbarum succi depurati ab unc. i. ad iii. ex jure, præsertim hyberno tempore, quando desunt herbæ recentes.

Ex his succis depuratis ex tempore fieri possunt sirupi, si addatur æqualis quantitas mellis despumati, & coquatur ad sirupi consistentiam. Misceatur decectis ab unc. i. ad ii.

Horum vicem supplere potest oxymel. fol. ad unc. i. circiter, additum decoctionibus. Suntque omnes sirupi valdè utiles huic præparationi, si absit adustio, cui convenientissimum est serum depuratum ad lib. i. sem. circi-

ter

ter cum emulsione dictorum seminum.

Pituitam præparantia.

HÆc omnia calefaciunt, & attenuant, & si pituita valdè lenta sit, & crassa, incidunt quoquè & detergunt, eadem conveniunt pituitæ salsæ, si temperentur jam enarratis præparantibus bilem.

Ergo si pituita crassitie, & lentore non excedat, convenient.

Pro capite, Beton. chamæd. ruta capar. major. rosmar. salvia, stæchas arab. Valerian. sylv. rad.

Pro oculis, calend. euphrag. fœnic. verben.

Pro nervis, & articulis; chamæpyt. gran. Junip. peucedan. primula veris.

Pro pectore. Caricæ, liquirit. pulmon. farfar. scabiosa vulgaris.

Pro corde, Rad. Angel. Card. Sanctus. Card. stellatus, cariophyllata, heder. terrest. Lavendul. pimpin. vulgaris scord. vincetoxici radix.

Pro ventriculo. Absynthium quodcunque, præsertim vulgare, arant. &

citri cortex, ac sem., mentha.

Pro jecore: Absynthium, Agrimonia.

Pro liene: ceterach. Epithym. fumar. cortex, & rad. capp. Tamarisc.

Pro utero: Artemis. cap. ven. calamenth. matricar. puleg. sabina.

Pro Renibus, *& vesica*: Appium, asparag. fœnic. petrof. ruscus.

Pro toto corpore: quinquefol. tormentil. oxymel. mulsa plenior.

Ex dictis fiunt sirupi, decoctiones in jure pulli, vel mulsa: quibus utilitèr additur oxymel. ab unc. i. ad ii.

Ventriculo, *& intestinis* inutiles sunt decoctiones, quia nimis citò prælabuatur partem affectam.

Conveniunt ergo solum oxymel. ad unc. ii. vel syrupus ex dictis herbis præparatus, cui addi potest ad flatuum discussionem emulsio sem. citri, vel arantior. ex unc. ii. circiter juris carnis, vel veterum more datur oxymel, in quo per noctem contabuerit coma absynthii.

Si pituita sit admodum crassa, & lenta, nunquam omittendum oxymel. additum decoctionibus appropriatis, qui-

quibus incoquantur aliquæ ex his herbis magis incidentibus, & detergentibus, nimirum hyssopus, frassium, politum, satureja, serpil. Thym. Tragoriganum.

Si placet extemporaneum aliquod oxymel componere, quod vi detergendi, & incidendi oxymel scyllicum æmuletur, tale esse poterit ad viscerum obstructiones, quod

℞. *Fol. betonic.*
Agrimon.
Absynth.
Fumar.
Pentaphyl. an. M. I.
Hyssop.
Prassii.
Ebymi an. M. i. sem.
Rad. asparag.
Fœnicul.
Petrosel. an. unc. j.
Aq: font. lib. iii.
Mellis lib. ij.

Bulliant lentissimo igne ad perfectam despumationem mellis, facta postea colatura, adde:

Aceti opt. lib. i.
Sem. Anis. drach. ii.

Cinam.

Zingib. an. drach. i.

Coq. lento igne ad consistentiam sirupi, fiat denuò colatura per rariorem pannum.

Melancholiam præparantia.

SI melancholia non sit adusta, conveniunt borrago, buglos. cuscut. ceterach. capil. veniliquirit. lupul. meliss. fumar. lingu. cervin. pruna dulc. quorum decoctionibus utiliter etiam additur oxymel, ratione aceti, humoris crassitiem incidentis.

Si humor sit adustus, conveniunt præparantia bilem crassam; & præterea succos pomorum redolentium, quod peculiarem hic habet prærogativam. Admisceri autem potest ab unc. i. ad ij. dictis decoctionibus herbarum.

Potest etiam inde fieri sirupus, sumendo unam partem mellis despumati, & duplum succi pomorum depurati, & coquendo ad liquidioris sirupi consistentiam, id est, ad consumptionem tertiæ partis.

Acri-

Acrimoniam demulcentia.

ACrimonia demulcent quæcunque vel ſuavi humiditate temperant, abluntque materiam acrem, vel oleoſitate, & lentore oblinunt, quorum inſignis eſt uſus in cardialgia & dyſenteria ſananda.

Abluunt, temperantque *aq. fontis*, *vel fluviatilis*, *amygd. dulc. emulſio. ſem. 4. frig. mai. Emulſio Aq. hord. decorticat. & ex eo* paratæ ptiſanæ cremor, jujubæ, lactuca, lac omne, præſertim bubulum, lactis ſerum, liquir. pruna, & poma dulcia. nymphea, portul. ſonchus ſolani halicacabi fructus, ſempervivum trumque, umbilicus veneris.

Ex herbis fiunt decoctiones, aut ſirupi, qui ſuaviores, & magis epiceraſtici redduntur, ſumpta ſapa loco mellis, & cum æquali portione ſucci herbar. ad debitam conſiſtentiam cocta.

Ex his quædam componuntur quibuſdam partibus ſingularia.

Ad dolorem Oculorum ex acri fluxione

ne valet cataplasma ex pomo dulci coсto in lacte, tepidum oculo admotum.

Ad urinæ ardorem singulare est decoctum liquirit., vel foliis vel cum fructibus alkekengi, quotidie sumptum ad unc. vi. in prima mensa vacuo adhuc stomacho.

Ad Tormina decoctum semper vivi major. ex aq. pluviali, vel ejus succi unc. ii. ex jure parvi pulli.

His adde plumbum in externis tantum illitionibus usurpandum, agitatis oleis in mortario plumbeo usque ad crassitiem, ut in ulcerum dolentium curatione fieri solet.

Oblinunt albumen ovi, & ejus aqua, amylum ferculis additum, butyrum recens, jus pingue intestinorum, capitis arietis, hædi vituli, pedum pariter porci, ac vituli, oleum benè maturum, præsertim cum aq. fontana ad humiditatis consumptionem coctum. Inter herbas alth. malva, rad. borrag. & consol. mai. Harum enim herbarum decocta muccilaginea sunt.

Pro secreto habetur *ad urinæ ardorem* aqua albuminis ovor. cum pari succo Limonis hausta.

Ad

Ad dysenterias decoctum totius Altheæ.

Huc pertinent pedes perdicis assati, quorum pulvis ad drach. 1. exhibitus ex aq. Coriand. præsente febre, ex vino nigro eadem absente; tridui spatio dysenteriam etiam feram sanat.

Ad ulcera dolentia, & nubeculas, ophthalmiæ, vel rubori oculorum conjunctas, Balsamum sacchari solutum in albumine ovi ad duritiem cocti: fit verò optimum hac ratione. Indatur saccharum pulverizatum vitro, optimè priùs loto ex aceto forti, tum decoquatur super cineres usque ad perfectam rubedinem, postea solve per deliquium in ovo ad duritiem cocto, exempto vitello.

Externis remediis utiliter adduntur sevum hircinum, & cervinum, axungia recens, pinguedo capellæ (ex qua cum pomis fit pomata vulgaris) medulla quadrupedum, cera, præsertim alba, & muccilagines sem. lini, fœnugræci, psylii, cotoneorum; nec non rad. althææ, & malvar. Quorum omnium peculiaris usus in sanandis cutis fissuris; quamvis psylii, & co-

toneor. muccilago addi etiam ſoleat medicamentis internis ad cardialgiam, urgente humoris acrimonia.

Detergentia lentorem.

DEtergentia contraria eſſe videntur epiceraſticis, ſeu demulcentibus, quandoquidem lentorem auferunt, & quod impactum eſt partibus, abſtergunt: cujus generis ſunt omnia ſalſa, nitroſa, acida, & amara, cutaneis fœditatibus, ſordidis ulceribus, & obſtructionis convenientia, ſed quia horum multiplex eſt materia, ut omnis confuſio vitetur in tanta varietate, proponentur hic detergentia potiſſimùm conferentia cutaneis affectionibus: alia, quæ obſtructiones tollunt, & ulcera purgant, petantur ſub titulo deobſtruentium, & ſarcoticorum, de quibus infrà in cenſu medicamentorum morbos reſpicientium.

Cutem ergo detergunt debiliter amygd. amar. nuclei perſici, aciditas citri, & limonum, butyrum maximè ſalitum, Entale, mater perlarum, fabarum flos, cortex, & farina, fœnu-

nugræcum, furfur. hordeum non decorticat. lilii albi flos, & radix, folia lauri, & baccæ, lapathum sylvestre, & acutum, præsertim ejus radix, lac & ejus serum, lithargyrium, malva, polygonati radix, scabiosa, balneaque naturalia acida, & moderatè calida.

Ex herbis fiunt decoctiones pro lotionibus, & balneis.

Ex aliis varia componuntur tum ad faciei nitorem, & delendas maculas, tum ad scabiem, & pruritum.

Pro facie abluenda, & dealbandis manibus singulariter conferunt, amygd. amar. vel nuclei persicor. contusi, & cum lacte ad pulmenti formam redacti.

Item farina fabar. cum sero lactis subacta ad liquidi linimenti consistentiam.

Panis ex hordei farina cum lacte pinsus, mediocritèr coctus, & calens; blande affrictus.

Celebratur quoquè lac virginis appellatum: quod fit ex una parte lithargyrii, & duplo aceti. Miscentur, agitantur, ac per tres horas maceran-

tur

tur, postea filtrato aceto infunditur aqua pluvialis, aut fontana, in qua parum salis solutum sit.

Omnium præstantissimum cosmeticum hujus generis est, quod.

℞. *Entalium.*

Matris perlar. an. p. æqu.

Terantur crasso modo tum F.S.S.S. cum aciditate limonis, & reponantur in loco humido, donec liquescant. Et liquor per se usurpetur vel destillatus per filtrum, aut B. M.

Ad pruritum, & scabiem mitem optima sunt hæc unguenta.

℞. *Lithargyr. auri trit. & cribrat.* unc. iii.

Aq. Rosar.

Ol. Communis. (præstat rosac.) an. unc. iiii.

Instilletur aqua prius sensim & sensim agitando continuò in mortario pistillo ligneo, donec pulvis totam aquam absorpserit, eique probè commixtus fuerit; tum adde oleum sensim, & sensim semper agitando, usque ad probam commixtionem, vel

℞. *Butyri recent.* unc. ii.

Rad. Oxylapati coctæ, & per setaceum

ceum transmissæ.
Ol. communis.
Suc. Limonum. an. unc. i.
Bacc. Lauri in tenuiss. pulv. trit. & cribrat. drach. ii.

Misc. F. Linimentum. S. A.

Potest omitti succus limonum, nihilo imminuta compositi facultate.

Mediocriter detergunt pro lotionibus, & balneis: Aqua marina, aq. Thermalis, salsa, nitrosa, aluminosa, urina pueri sani, ros majalis, succus agrestæ, sapo albus, decoctum agarici, radices Arundinis, hederæ muralis, lupinorum, vitis nigræ, Rhododendri.

Pro illitionibus resinæ omnes maximè Laricina, & Terebinthina, lacryma abietina, myrrha, sambuci cortex medianus, cornu capræ ustum, os Sepiæ ustum, Tabacum recens, sal communis, cinis.

Ex his aliqua parantur usu comprobata, cùm ad scabiem, tùm ad faciei maculas.

Ad scabiem:

℞. *Fol. oleand. pulv. & cribat.* drach. ii.

Sal

Sal commun. drach. i.

Butyr. unc. i. ſem. Miſc. F. Linimentum.

Vel.

℞. *Fol. Tabac.* M. i.

Oleand.

Lauri an. M. ſem.

Butyr. unc. iii.

Contundantur in mortario, donec omnia probè miſceantur, tum liqueſcant ſuper prunas, fiatque expreſſio fortis.

Vel. ℞. *Baccar. Laur.*

Ciner.

Salis an. drach. i.

Ol. communis unc. iii.

Ceræ Miſc. F. linimentum.

Vel ℞. *Reſin. Laricin. aut terebint.* unc. ii.

Butyr. recent. unc. i.

Ole. Laur.

Suc. Limon. an. unc. ſem.

Sepiæ uſt. vel.

Ceruſſ. aut Litharg. drach. i.

Sal. comm. ſcrup. ii. Miſc. F. linimentum.

Vel ℞. *Cortic. median. ſambuci.*

Fol. Tabac. an. M. ſem.

Ol.

Ol. comm. unc. iii.

Coquantur lento igne ad consumpt. humiditat. (cujus signum est, si oleum igni injectum flammam illicò concipiat absque crepitu) facta expressione, & colatura adde.

Myrrhæ subtiliss. pulv. drach. ii.
Ceræ flav. drach. i. sem. F. Linimentum.

Hic quoque lapis sequens, si conveniente liquore dissolvatur, & inde lavetur locus affectus, scabiem, & impetiginem tollit, &

℞. *Alum. rup.* unc. i. sem.
Litharg. aur. unc. iii.
Borac. Officin.
Sal. marin.
Ceruss. an. unc. i.
Acet. opt. lib. i.
Aq. pluvial. lib. sem.

Cerussa, & lithargyrium terantur, & cribrentur, tum coq. in olla non vitreata ad lapideam consistentiam.

Ad faciei maculas.

℞. *Roris majal. per filtrum filtrat.* lib. ii.
Suc. agrestæ vel Limon. vel Arantior. acid. lib. i.

Rad.

Rad. lilior. alb.
Polygonat. an. unc. ii.
F. infusio per dies duos in fimo equino; vase benè clauso; tum ejusdem fimi calore destillentur prolotione faciei.
Vel ℞. *Saponis albi, rore majal. aut aceto in spumam soluti.* unc. ii.
Farin. Lupinor. unc. sem.
Misc. agita diligenter, coque lento igne, decoque ad mediocrem consistentiam, postea adde.
Ol. è nucleis persicor. unc. iii.
Misc. & coq. ad lentum calorem ad unguenti consistentiam, quod linianiantur manus, & facies ante decubitum, manè verò abluatur decoctione surfurum.
Valenter detergunt pro balneis, & lotionibus thermæ sulphureæ, decoct. rad. bryoniæ, ellebo. nigr. centaur. minor. saponariæ. rad. Enulæ, præsertim addito salis, & aluminis momento.
Pro Epithemate aqua calcis vivæ.
Pro illitionibus, borax officinar. nitrum, sulphur, sapo niger, cinis sarmentitius, calx optimè lota. pulpa
rad.

rad. enulæ. ol. Tartari.

Ex his quædam componuntur utilitiſſima, uſuque compertiſſima.

Ad ſcabiem cruſtoſam, & leproſam incantamento ſimile eſſe, ait Amatus Luſitanus unguentum hoc

℞. *Rad. enul. campanæ vir.* lib. ſem.
Axungiæ ſuillæ unc. v.

Tundantur ſimul, optimèque miſceantur in mortario lapideo, tum ad lentum ignem parùm ebulliant, fiatque unguentum.

Ejuſdem efficaciæ eſt iſtud.

℞. *Rad. Enulæ rec. in acet. acerr. coct. & per ſetac. tranſmiſſ.* unc. ii.
Butyri ſaliti.
Reſin. laricin. aut terebinth. an. unc. ſem.
Salis comm. opt. triti ſcrup. ii. Miſc. pro unguento.

Vel ℞. *Sulphur. viv.* drach. ii.
Ciner. ſarment.
Sal. comm. trit. drach. i.

Ligentur in ſindone rara, & bulliant in

Ol. comm. unc. iiii.
Aceti, vel ſucci limon. unc. i.

Coq. ad humid. conſumpt. & hoc glo-

globulo calido ungatur pars scabiosa.

Vel ℞. *Sulphur. vivi*. unc. sem. *in Ol. Communis* unc. iiii. dissolvatur; dein adde

Sal. triti.
Ciner. opt. cribrat. an. drach. i.
Ceræ par. Misc. F. Linimentum.

Pro Lotione.

℞. *Alum. rupei*.
Sal. communis.
Sulphur. trit. an. unc. i.
Sapon. nigr. unc. i. sem.
Hord. M. i.
Acet. albi lib. sem.
Aq. communis lib. vi.

Bulliant ad consumpt. medietat. & facta Colatura, serva.

Ad maculas cutis.

℞. *Saponis nigri, succo limonis solut*. unc. ii.
Borac. drach. ii.

Coq. leni calore ad spissitudinem, dein adde

℞. *Cortic. fabar. subtiliss. pulveriz*. unc. sem.
Ol. nucleor. persicor. unc. iii.

Misc. diligenter, usque ad perfectam unionem, & F. Saponea.

Lo-

Loco dicti olei, sumi poterunt Ol. communis unc. ii. Ol. Tartar. unc. i. Misce, & ungatur locus mane, & vesperi, abluatur cutis aliqua ex dictis decoctionibus.

Hujus generis est sapo, quo mulieres Venetæ utuntur ad manuum, faciei, & capillorum decorem. Compositio autem est, hæc

℞. *Sapon. Damasc.* unc. iiii.

F. Solutio in succo Limon. q. s. postea adde

Ol. amygd. dul.

Tartari. an. unc. ii.

Stent. ad solem, & quotidie agitentur, donec materia inspissetur ad unguenti consistentiam; hoc inungitur locus vesperi, & mane, & abluitur deinde decocto hordei, vel surfurum.

Antiquæ maculæ, & Vitiligines tolluntur aq. calcis vivæ, facta cum sero lactis, quo locus desædatus sæpè attingatur; tum ablata pellicula restituatur unguent. de lithargyrio, inter debiliter detergentia descripto.

Hoc remedio, tanquam summo secreto, usus quidam magni nominis

vir maximam inter nobiles matronas pecuniæ vim corrasit.

Duritiem emollientia.

QUamvis induratus humor sola emollitione emendari videatur, non tamen ejusdem generis quævis remedia postulat; nam frigidi, & sicci humores concretione indurati, calefacientibus tantùm, sinè insigni siccitate funduntur, quæ propriè emollientia dicuntur.

Lac verò, & sanguis quando in grumos vertuntur, & concrescunt, cum id patiantur proprii caloris defectu, utcunque calefacientia, insigniter autem attenuantia, & incidentia postulant.

Denique lac caseosum effectum frigida, & humida requirit, cum aliqua partium tenuitate; quia validus calor serum à crassiori parte separans lac in caseum vertit.

Emollientia, proprièque fundentia duplicis sunt generis: alia conveniunt tumoribus scirrhosis, quæ nonnihil validiora sunt, fusamque materiam di-

discutiunt: alia mitiora sunt, convenientia humoribus induratis absque insigni infarctu, & copia materiæ, quorum usus etiam in scirrhosis affectibus præcedere debet fortia emollientia, ut quod concretum est, faciliùs fundatur, citiùsque discutiatur.

Mitia sunt, alth. borrag. bugloss. branc. urs. fænugr. liquirit. sem. lini lilior. alb. malva. melilot. passulæ.

Ex his fieri possunt decoctiones, syrupi, & electuaria, pro usibus internis. Ingrediuntur quoquè externa fomenta, unguenta, & cataplasmata, quæ potissimùm parantur ex butyro, adipe quoque recenti, sed maximè humano, & taxi, cera nova, medulla quadrupedum, œsypo, oleo communi benè maturo, sevo, & mucilaginib. altheæ. malvæ. fœnugræc. ac sem. lini.

Fomentis peculiariter inserviunt lana succida, lanarum prima lotura, & hydrelæum tepidum.

Composita facilè parabilia erunt hujusmodi.

Pro illitione.

℞. *Rad. lilior. alb.*

Malvæ.
Althææ. an. unc. i.
Chamæmel. vel
Aneth. M. i.
Vini albi. unc. iiii.
Ol. communis benè maturi. unc. viii.

Coq. ad consumpt. humiditat.
F. Expressio cum colatura.

Vel ℞. *Mucilag. sem. lin.*
Rad: alth. an. unc. i.
Medul. bubul.
Butyr. recen. an. unc. sem.
Ol. communis unc. iii.
Ceræ novæ drach. iii. Misc. F. Unguent.

Pro Cataplasmate.

℞. *Rad. lilior. alb.* unc. i.
fol. Malvæ. M. i.

Coq. leniter, deinde cum Butyr. recent. unc. ii. contundantur, & F. Cataplasma.

Vel *Rad. alth. coctæ, & per setac. transmis.* unc. ii.
Fol. melilot.
Farin sem. Lini an. unc. i. sem.
Rad. lilior. alb. unc. sem.
Medull. bubul. unc. i.

Ol.

Ol. communis unc. iii.

Decoct. Malvar. q. s. F. Cataplasma.

Valentia sunt sequentia: quæ omnia exteriùs usurpantur, excepto croco, & rad. smilac. asperæ, quæ cum salsa parilla Indorum virtute, fortè & specie convenit: alia vix administrantur sola, sed permixta mitiorib. emollientibus.

Fomentis ergo addantur rad. bryon. cyclam. cucumeris asinini, & iridis recentis, ex quorum decoctione paratur efficax suffumigium, extincto lapide pyrite, aut molari. Aq. Thermalis bituminosa per se inservit fomentis, & balneis.

Pro Illitionibus conferunt adeps anserinus, cervinus, oleum è nucibus expressum, amusca, petroleum

Emplastris adduntur æpæ, rad, hyacinthi, narcissi, fol. tabaci recentis, & flores iridis.

Per se Emplastri vicem gerunt luta bituminosa, stereus bubulum, præcipuè cum amurca subactum, caseus antiquus, cum jure carnis salitæ subactus.

Ceratis adduntur pix arida, resina colophonia, bitumen; lapis gagates, & ammoniacum, quod per se ceratum exhibet aceto forti dissolutum.

Ex his varia ex tempore componentur ad scirrhos efficacia medicamenta. E. G.

Pro Illitione.

℞. *Rad. cyclam.*
Cucum agrest. an. unc. sem.
Lilior. alb. unc. i.
Herb. Chamæmel.
Tabaci recent. an. M. i.
Fol. Laureolæ M. sem.
Ol. communis lib. i.
Vini alb. unc. iii.
Aceti unc. ii.

Coq. lento igne ad consumption. medietat. & F. Expressio cum colat.

Cataplasma

℞. *Cæpæ candidæ in aceto coctæ* unc. i.
Flor. Irid. purpur. in vino albo macerat. P. i.
Adip. Anserin. unc. sem.

Ex omnibus simul contusis F. Cataplasma.

Sunt, qui ceratum ex sola pice alba, quam

quam Burgundiacam vocant, pro ſecreto habent, & ammoniaco præferunt.

Sanguinis grumum diſſolvunt, & impediunt, acetum, poſca, oxymel ſimplex, decoct. ariſtoloch. rot., calaminth. ſaturiæ. thymi, Cortic. nucum viridium.

Fiunt tamen validiores decoctiones ex poſca. Coagulum leporis ad drach. i. ex poſca bibitum. Extemporaneum, optimumque remedium fit ex lixivio, aceto, ſale, & melle, hac ratione; ut

℞. *Lixivii dulcis* unc. iii.
Aceti unc. i.
Mellis deſpumat. unc. ſem.
Salis communis ſcrup. i. Miſc. ad lentum calorem pro potu.

Itaque ſi Oxymel præparetur, coquendo mel cum lixivio uſque ad perfectam deſpumationem, fiet gratum, & efficax remedium.

Lacti grumoſo conferunt mitia emollientia, mixta, in fomentis quidem, cum appio ſativo, appio montano, cumino, mentha recenti, & ruta, addita aliqua portione aceti.

In Cataplaſmatibus verò, cum fari-

rina fabarum, lentium, oxymelite, aut mulsa, cum tantillo aceti.

Expertum est hoc sequens fomentum.

℞. *Fol. Malv.*
Rad. alth.
Herb. apii sativ.
Apii montan.
Rad. fœnic. an. M. i.
Fol. Lauri.
Flor. Camæmel. an. P. i.
Aq. communis lib. vi.

Bulliant ad consumpt. tertiæ partis, pro fotu, & ablutione mammarum. Ex residuo fit optimum Emplastrum.

Probata Remedia sunt ista sequentia; ut

℞. *Terebinth. sapiùs lotæ ex vin. al.* unc. iii.
Ova integra. N. iii.
Croci. scrup. i.
Ceræ flavæ. unc. ii.

Misce, F. Ceratum super lineum pannum extendendum, relicto foramine, ut papillæ promineant, sugique possint:

Vel ℞. *Farin. Fabar.* unc. iii.
Ol. communis unc. ii.

Te-

Terebinthin. unc. i.
Vitel. ovor. N. ii.
Croci. scrup. i.

Cum decoctione Malvar. & petrosel. facta ex aceto q. s. M. F. Cataplasma.

Lacti caseoso eadem conveniunt, frigidis, & humidis temperata, & majori portione aceti.

Habet tamen aliquam praerogativam Emplastrum ex surfuribus, aut hordeo cum aceto coctis, addito tantillo croci.

Item Cataplasma ex farina fabarum, cum decoctione solani vesicarii ex aceto facta; quod efficacissimum redditur addito coagulo leporino, & butyro recenti.

Hactenus de corrigentibus qualitatem manifestam causae morbificae. Qualitas occulta, cum sit venenata, & illis insit, quae substantia peccant, postulat alexipharmaca, infra recensenda inter remedia opposita causae toto genere praeter naturam.

Materiam præter naturam quiescentem moventia.

DEficiens motus eorum, quæ definito tempore moventur à natura, contingit potissimùm remorantibus menstruis, partui difficili, retentis secundinis, & fœtui mortuo; nec non obcæcatis hæmorhoidibus innatis; quibus auxiliantur menses provocantia, partum adjuvantia, secundinas pellentia, fœtum mortuum educentia, & provocantia hæmorroides obcœcatas.

Menses moventia.

QUæ propriè menses movent, sanguinem fundunt, venarumque laxant orificia; quorum materia; cum latè pateat, distinguitur a Galeno in tres classes. *Mitium* nimirum, quorum usus est maximè in imminutis mensibus. *Mediocrium*, quæ magis conveniunt suppressis, & *Valentium*, quæ extremis casibus, & reliquis nihil proficientibus, non quidem as-

assumpta per os, sed addita pessariis, aut infusionibus uterinis.

Præcipua, & *magis ob via sunt inter mitia*. Capil. Ven. Cicer. rubr. primum jus, juli juglandium, flos Keiri in umbra siccatus, lilii alb. flos, Meliss. decoctiones, & syrupi potissimùm ex vino albo aromatico.

Efficacissima autem talia remedia censentur sequentia.

℞. *Capil ven. vel polytrich.* P. sem.
Flor. Keiri siccat. drach. i.
Vini alb. odor. unc. vi.

F. Infusio per horas 12. deinde leviter bulliant ad consumption. 3. partis. Colaturæ adde *Croci* gr. iii. Misce pro potu calido.

Vel ℞. *Nucum jugland. siccar. non rancidar.* unc. sem.
Jur. Cicer. rubror. unc. iiii.
Vini albi odorif. unc. ii.

Coq. ad tertiam partem. Colaturæ adde

Croci gr. iii. vel
Cinamom. gr. vi.

Misc. pro potu.

Usus quoquè frequens juglandium

creditur à proprietate ciere menses, unde mulieres faciunt utiles placentas, & farcturas ex nucibus, fol. petrosel. virentib. & croco.

Exteriùs pro inunctione hypogastrii fiet per insolationem. Oleum Keirinum, vel liliaceum. Ex tempore fit Oleum per decoctionem rad. lil. alb. & summitat. aneth. vel chamæmil.

Mediocria sunt, aristol.rot. artemisia, aromata omnia; inter quæ præfertur Cinamom. & crocus, bellis hortensis, bilinguis rad. calamenthum, præcipuè montaneum, dictaminus uterque, glandioli radix, matricaria, majorana, mercurialis, mentastrum, nigella, ocymum, pulegium, sabina.

Ex quibus fiunt decoctiones, Syrupi, & Electuaria, vel drach. j. pulverum datur ex vino albo odorato, aut jure cicer.

Aridis, uti pulveribus, bolis, & pilulis adduntur utiliter borax officinar. myrrha, flor. sulphur. & sem. urticæ.

Pro secretis habentur bellis hortensis aridæ decoctum ex vino albo odorifero.

Item

Item Sem. Urticæ drach. i. decoctio ex vino albo.

Item decoctum fol. ſenecionis hortenſis deorſum avulſorum, ex vino albo, vel jure cicer. rubr.

Item pſeudodictamnus Matthioli, vel decoctus, vel in pulverem tritus, & ex vino albo bibitus.

Item fermenti acerrimi drach. j. circiter, diſſoluta ex vino albo, cum, vel ſine tantillo croci bibita.

Item ſem. nigellæ drach. j. cum Cinamom. ſcrup. j. cum vino albo bibit.

Omnium efficaciſſimus eſt hic quoque pulvis.

℞. *Boracis officinar.* ſcrup. j.
Cinam.
Rad. Ariſtol. rot.
Fol. Sabinæ.
Dictamni Cretic. vel ejus loco, Pſeudodictamni, aut Sem. Nigel. an. ſcrup. ſem.
Sacchar. fin. ſcrup. ii.

Miſc. F. pulvis ſubtiliſſimus, una vice ſumendus, ex jure Cicerum rubr. vel vino albo optimo.

Parari etiam poteſt Vinum Medicatum, cujus unc. iiii. calidè manè bi-

bi-

bitæ aliquot diebus ante consuetum mentium circuitum illos potenter provocant. Quale est, quod tali modo paratur.

℞. *Herb. Artemis.*
Calaminth. mont.
Puleg.
Sabin. an. P. j.
Cinam.
Sem. anis. an. drach. j.
Croci scrup. j.

Herbæ incidantur, sem. contundantur, & per 24. horas macerentur in vini albi generosi lib. ii. deinde parum bulliant, & colentur.

Externè conveniunt insessiones thermarum sulphu atar. item decoctum herbarum dict. r. ex quibus fiunt quoquè fomenta, & infusiones uterinæ; fiunt quoque suffitus, qui in obnoxiis hystericæ passioni excitari debent, succensis materiis odoratis; in aliis indifferenter excitari possunt, & fœtidis, & odoratis simul mixtis: nam odorata magis laxant uteri vias, fœtida autem expultricem ad vacuationem stimulant.

Pro odorato suffitu conveniunt aroma-

mata omnia, baccæ lauri, grana juniperi, majorana, myrrha, peucedani radix. Satureja, thymus.

Fætidiorum fumum præbent bitumen, lapis gagates, ruta, sulphur, & obvia quædam gummata, maximè autem asa fœtida, & sagapenum.

Denique singulariter commendantur pessi ex allio trito, cum oleo spicato, item ex succo mercurialis, vel succo rad. Ebuli lana excepto.

Pro secreto habentur plantæ maximæ folia nudis pedum plantis supposita, gestata.

Valentia, quæ aliis, seu pessis, seu infusionibus uterinis admiscentur, sunt Ari. & Serpentariæ radix, bryoniæ radix, Colocynthis, Cyclamen, Elleb. uterque, fel. maximè bubulum, hydropiper, & staphisagria.

Partum adjuvantia.

PArtum facilitant etiam menses moventia, sed præter illa singulariter juvant; stercus accipitris ad drach. j. ex vino potum.

Stercus Falconis eadem dosi ex vino al-

albo pariter potum.

Testiculorum equi castrati in talcolas sectorum, cum vino albo ablut. in furno exsiccator. pulvis ad drach. i. ex vino albo aromatico sumptus.

Rad. bilinguis,, cardiaca herba, & gallitricum, ex vino albo. Datur eorum pulvis cochlearis mensura, vel succus ex vino albo calido.

Secreti magni loco habetur à Fallopio boracis officinarum scrup. j. ex decoctione matricariæ, aut Sabinæ.

Bedditur, & partus facilior cochleis in cibo sumptis aliquot diebus ante partum.

Item turtur assata, cujus venter farctus sit baccis lauri, juniperi, & cinamomo, comesta, alternis diebus aliquot ante partum.

Exteriùs autem instante partu, juvant lapis Ætites femori alligatus, Iaspis item, & Corallum ibidem alligatum, & magnes læva manu gestatus.

Se-

Secundinas pellentia.

SEcundinas pellunt jam proposita adjuvantia partum, quæ internè sumuntur.

Peculiariter autem conferunt salviæ decoctum ex vino albo, Lauri Alexandrinæ radix, Sem. matr. sylv. seseleos Massiliensis Semen, aut radix. Datur eorum pulvis ad drach.j. ex vino calido, vel salviæ decocto. Valet quoque pulvis baccar. lauri ad drach. j. ex vino albo, vel aq. aut decoctione lilior. alb.

Commendatur & hic pulvis.

℞. *Rad. Aristol. rot.*
Myrrhæ an. drach. sem.
Piperis scrup. i.

F. Pulvis sumendus ex aqua, vel decoctione capil. ven. polytrichi.

Efficacius redditur medicamentum addito tantillo croci.

Habentur quoque pro expertis, Dictamni pulvis bibitus ad unc. i. & pulvis prædictus testiculorum equi castrati.

Fæ-

Fœtum mortuum educentia.

EXpellentia secundinas, fœtum mortuum quoque educunt.

Dictamo præcipua vis tribuitur, tùm potu, tùm suffitu.

Peculiariter etiam juvant caniculæ primæ feturæ lac potum.

Sium pro olere in cibo sumptum.

Scordij succus ad drach. sem. cum croco bibitus.

Suffitus stercoris columbini, sulphuris, spolii serpentis.

Non negligenda sunt etiam ad hoc opus, quæ femori alligata partum facilitant.

Inter experta celebrantur hæc duo.

℞. *Chrysocollæ mineralis* scrup. ii. vel
Boracis drach. i.
Cinamom.
Croci an. drach. i. Misc. F. pulvis

Exhibendus ex vino albo, vel decocto Artemisiæ.

Item ℞. *Chrysocoll. mineral.*
vel *boracis*. drach. sem.
Dictamni cretici scup. i.
Succi Sabin. unc. sem.

Tri-

Tritis terendis, misceantur unc. iii. *Vini albi*: vel, præsente febre, decoctionis *Polytrich. aut capil. Ven.*

Pro potu.

Hæmorrhoides aperentia.

SI obcæcatæ hæmorrhoides tumeant referantur affrictu folio borraginis, ficulneo, cucumeris asinini, & bryoniæ. Juvat quoque internus usus aloes. His non proficientibus, applicandæ sunt hirudines.

Materiam pravo motu agitatam sedentia.

QUæ præter naturam moventur, sistuntur revellentibus ad partem oppositam, repellentibus à parte suscipiente, & intercipientibus inter partem mandantem, & recipientem, incrassantibus materiam fluentem, & adstringentibus vias, per quas sit fluxio.

Intercipiunt, quæ proposita sunt ad bilis tenuis præparationem, & quæ obli-

illius nempe acrimoniam demulcent.

Repellunt omnia, quæ vias etiam adſtringunt, de quibus paulo infra: & præterea omnia frigiba, & humida, quæ incraſſando intercipiunt, jam propoſita.

Revellunt tum rubificantia, inter inſenſibiliter evacuantia enumerata; tum veſicantia, quæ parantur ex Cantharidibus ad Cerati, vel Emplaſtri formam redactis; aut ex flammula Jovis, vel rad. Ranuncul, minoris per ſe tritis, & Cataplaſmatis forma admotis.

Exemplum Cerati ſit, hoc

℞. *Cantharid. integ.* unc. ſem.
Sem. ammeos ſcrup. iiii. ſem.
Reſinæ drach. v.
Ceræ. drach. ii.

Miſce P. Ceratum pro 4. veſicatoriis, corpori adulto convenientibus; pueris, & mollioribus ſufficit pars dimidia.

Pro Emplaſtro, ad 4. veſicantia;

℞. *Cantharid.* drach. iii. *vel* iiii. (pro denſiori, aut molliori habitu corporis)
Sinapi ſcrup. iiii.

Sem.

Sem. Ammeos drach. i.
Fermenti acerrimi. unc. i. ſem.
Acet. acerr. q. ſ. F. Emplaſtrum.

Acerrimum acetum eſt ſcylliticum, & quod ex tempore parari poteſt ex allii, Ari, vel Cepæ rubræ decoctione; vel dictæ cantharides tunduntur, & ſubiguntur cum mica panis recentis, aut cum caricis, ſubinde irrigando materiam aceto acerrimo, & F. Emplaſtrum.

Poteſt quoquè veſica celerrimè excitari, affuſo oleo, vel aqua ferventе; ſed ea ratione, ut per cannulam latam materia adſpergatur, ne latiùs diffundatur, quam expediat, ve Oleum immittatur parti munitæ circulo chartaceo, aut ſimili tàm amplo, quàm magnam cupias excitari veſicam.

Cauſam ſubſtantia peccantem eradicantia.

PEccant ſubſtantia, ſuntque toto genere præter naturam, corpora vulneribus infixa, vermes, calculi, venena, pus; quibus conveniunt extra-

trahentia, vermes necantia, calculum frangentia, alexipharmaca, & pus moventia.

Extrahentia. Hæc quamvis proportionem habere debeant cum infixis corporibus, ob quam alia alias materias trahunt; ut magnes ferrum, & succinum paleam; quædam tamen indeterminato cujucunque corpori extrahendo è vulneribus conferunt, anagallis, nimirum erundinis radix, ariſtol. rot. rad., dictamnus, gladioli ſuperior radix, lacertæ caput, propolis, ſpatulæ fœtidæ radix, tiliæ cortex medianus, viſcus. Quæ omnia adduntur Emplaſtris; vel per ſe trita ex vino vulneri admoventur.

Admiranda vis tribuitur ad extrahenda omnia infixa, etiam è profundis partibus corporis, linguæ vulpis evulſæ menſe Martio, & exſiccatæ, atque ejus tempore maceratæ vino, donec mellescat, & calidæ vulneri admotæ.

Sunt, qui eamdem vim tribuant adipi, & pelli leporinæ eodem menſe conquiſitæ, ſed operandi modo extrahentibus quodammodò adverſatur; nam infixa non trahit verſùs ſe, ſed propellit

lit à se; unde non ab vulneris oras admovetur, sed ad partem aversam ejusdem membri ægri; ut si vulneri sincipiti inflictio aliquid inhæreat, propelli, ajunt, foràs, dictis materiis occipiti applicatis.

Vermium remedia.

EX his quædam necant tantùm; quædam necant, & ejiciunt. Necantia, alia magis conveniunt lumbricis latis; alia teretibus, & ascaridibus; alia omni vermium generi adversantur, & ob eximiam vim, quæ vermes interimunt, veluti vermium venena statui possunt.

Necant lumbricum latum; Allium, baccæ lauri, filicis feminæ radix, heliotropium majus, mali punici radix, mori radicis cortex, sem. nigell. nux juglans, Tabacum, Vitriolum. Dantur in substantia ad drach. j. vel decoctione, præsertim ex aceto, vel lixivio dulci.

Necant teretes, & ascarides; Acetum, Arantij succus, aciditas citri, & limonum, sem. brassicæ, rad. bi

stor-

flortæ. card. bened. rad. gramin. bolus armena, cardiaca herba, cruciatæ radix, omphacium, portulacæ succus, & sem. personatæ radix, succisæ rad. terræ quecunque sigil. Torment. vincetoxic. rad.

Necant & expellunt; absynthium quodcunque, abrotanum, amygd. amar. aquæ Thermales salsæ, Citrii, & arantii sem. chamæd. dictamnus albus, Gentianæ cujuscunque radix, lixivium, lupini, myrrha, marrubium, persicorum nuclei, flores, & folia, ruta, scordium, sulphur, urticæ sem.

Ex his aliqua extemporanea componuntur, usu comprobata.

Exempli gratia in potu, qui talis.

℞. *Emulsf.* ex drach. j. *sem. Citrii*, *vel Arantior. paratæ cum* unc.iiii. *Lixivii dulcis*.
Vini dulcis unc. ii. Misc.

Vel ℞. *Absynthii pulverizat.* scrup. j. indatur malo arantio mediocriter excavato, cum tantillo *sacchari*, & *aceti*, coque super cineres calentes, tum. F. expressio pro potu.

Pro secretis habentur summitates, vel

vel Eupatorii Avicennæ, vel Ab:y.thii marini, ferentium semen, datæ à scrup. j. ad drach. i. circiter ex vino, lacte, aut simili liquore.

Exteriùs parantur ex tempore, tum epithemata ex aloe, myrrha tritis ex aceto; aut exceptis felle bubulo; tùm fomenta ex absynthio super calentem tegulam excalefacto, & aceto consperso, vel ex foliis persici cum aceto calente tritis.

Pro illitione parabitur Oleum efficax tale:

℞. *Herb. Absynth. communis*
Card. bened.
Scord.
Tabaci an. M. i.
Rad. cyclam. unc. sem.
Colocynt. drach. ii.
Ol. commun. lib. ii.
Acet. acerr. lib. i.

Coq. lento igne ad consumptionem humiditatis. F. Expressio. Colaturæ adde Myrrhæ pulver. unc. i. iterum bulliant lento igne usque ad dissolutionem myrrhæ, F. denuò colatura.

At veluti venena Vermium sunt cornu cervi, cannabis sem. aut fol. suc-

cus; Corallina, ſeu muſcus marinus; Enulæ recentis ſuccus, hypericum, lumbricorum terreſtrium pulvis, petaſitidis radix, ruta capraria, & argentum vivum probè expurgatum.

Dari etiam poteſt vulgaris Mercurius benè præparatus, purgatus in aquam, ad ſcrup. j. circiter, cum auro foliato in pilulam redactus.

Efficax eſt etiam vinum, in quo vel maceratus ſit per noctem dictus Mercurius: vel probè agitatus optimè purgatur ad hunc finem, & innoxius redditur, ſi cum ſucco rutaceo agitetur in phiala vitrea ad perfectam albedinem.

Gratum, & efficax paratur acetum, ſi in lib. j. aceti maceretur per biduum ſummitatum hyperici P. j. cornu cervi raſi unc.ſem.cinamomi fracti drach. j. & coletur ad uſum; ſumitur in acetariis, vel ex cohcleari, addito ſacchari momento.

Cal-

Calculum Frangentia.

LOngè plura proponuntur à Scriptoribus, quam comprobet experientia : nisi id accidere putemus ob lapidum varietatem : nam medicamenta renales lapides comminuunt, à quibus vesicæ calculus vix aliquid patitur : neque omnia, quæ lapides adhuc molles, friabiles, & ex arena nondum probè compacta cohærentes dissolvunt, eadem atterere possunt calculos durissimos ex lento, exsiccatoque muco conglutinatos. Prætèr ea quædam minutiores renum lapillos, & arenulis affines asperitate sua conterunt, & expurgant, quæ grandioribus calculis etiam renalibus nihil conferunt. Operæ pretium est primò distinguere hujus generis medicamenta in triplices classes; in ea, quæ induratum lapidem dissolvunt; ea, quæ conveniunt lapidi adhuc molli, & ex arenulis non benè compacto; atque ea, quæ minutiores calculos, & arenulas pellunt. Omnium ordinum magis obvia præcipuè sunt ista.

Ad calculum minutiorem, & arenulas. Avellan. sylvest. cortex altheæ flavæ, seu abutili sem. calx cort.ovor. lapis spongia; cochlearum hyemale operculum, lucij piscis ossa capitis pulverizata, lapis ex capite limacis, lapis astacorum, mespilorum ossicula, malvæ sem. milium solis, virga aurea. Dantur in pulverem trita ad drach. i. ex jure cicer. rubeorum.

Ad calculum adhuc mollem, & arenosum, Ammi, cardui fullonum rad. cortex lauri, rad. Eryng.j.rad.fraxini, sem. Genistæ radic. cortex; Irionis utriusque Matthioli semen, Lappæ minoris sem. mentastrum, nigellæ, & nigellastri semen, Raphani cort. decoctio.

Alia dantur quoque in pulverem trita, ad drach. j. ex jure cicer. rub. vel alia decoctione diuretica.

Ad calculum induratum, vel grandiorem, Apri dentis pulvis, cicadæ ustæ cinis, cerasor. nuclei, borax officin. capil. ven. caudæ tremulæ cinis, & caro. Galli decrepiti sanguis exsiccatus, gummi cerasi; hirundinum pullorum cinis, limonum succus, leporis

in-

integri combusti cinis, lumbricor.terrestrium cinis, millepedes vino abluti, & exsiccati, pimpinel.saxifrag. solani vesicarii, seu Alkekengi fructus, saxifragiæ radix, sanguis hircinus, vulpinus, & leporinus exsiccatus, scorpionum cinis, tribulus terrestris, urticæ urentis rad.violæ purpur.sem. Hæc eadem potentiùs pellunt arenulas, & calculo molli etiam conveniunt.

Ex compositis facilè parabilibus celebriora, & arcanorum loco habentur ista.

℞. *Sanguin. hirci* herbis saxifragiis per mensem nutriti.
Myrrhæ el. an. drach. sem.
Juris Cicer. rubr. unc. iii.
Succ. Limon. unc. j. Misce pro potu

Vel ℞. *Sanguinis è viva vulpe.*
Vini albi an. p. æq.

Coq. lento igne in olla vitreata, ad formam pultis; cujus exhibeantur unc. v. per 8. dies continuos.

Vel. ℞. *Millepedum præpar.* drach. j.
Aq. vitæ unc. sem.
Decoct. Cicer. rub. unc. ix.

Affundatur juri calefacto aq. vitæ, & sumatur tepidum horis 6. ante cibum,

 per

per 9. dies.

Vel. ℞. *Boracis offic.* drach. i.
Jur. Cicer. rub. unc. iiij.
Aq. ardentis. drach. ij. Misc. pro potu, exhibendo totidem diebus.

Vel. ℞. *Sem. violar. purpur.* unc. sem.
Decoct. vel aq. veronicæ, vel Virgæ aureæ. unc. vi.
F. Emulsio danda per 7. dies.

Item, ℞. Succi tribuli maximè terrestris unc. iiij. bibatur calidus per se, vel cum succo limonum. Eodem modo haustus succus virgæ aureæ per aliquot dies, efficacissimus censetur.

Pus moventia.

Quamvis immediatè materiam toto genere p. n. non extirpent, sed naturæ potius coquenti opem ferant; quando tamen pus confectum citiùs, tutiùsque evacuatur, mediatè ad hoc quoque opus concurrunt.

Per se autem pus movent, quæ partis calorem fovent, seu ob temperamenti similitudinem, seu caloris influen-

fluentis effluxum prohibendo, porositatum infarctu.

Per accidens pus movent, quæ materiæ excessus retundunt, atque adeo commixtum sanguinem aptum reddunt, ut à calore nativo patiatur.

Partibus & habitibus calidioribus conveniunt cæpæ coctæ, caricæ pingues, crocus, fœnugræcum, lini semen, lilior. alborum radix, thus; & exterius adeps anserinus, caprinus, fermentum, resina quæque.

Extemporanea Emplastra poterunt esse hujusmodi.

℞. *Picis aridæ ol. liquatæ*. q.s. F. Empl.

Vel ℞. *Resinæ cujuscunque, ceræ fluvæ* an. p. æq. Misce pro cerato: cui addi potest 4. pars adipis anserini, & formari unguentum.

Vel. ℞. *Rad. lilior. alb. coct. & contus.* unc. ij.
Farin. sem. lini.
Fœnugr. an. unc. j.
Croci. scrup. j.
Ol. commun. unc. j. sem.
Decoct. rad. lilior. alb. q. s.
Misce F. Cataplasma.

Fermentum per se cum adipe anserino subactum est efficacissimum.

Partibus, & habitibus temperatioribus conveniunt alth. malva. amygd. dulc. butyr. vitellum ovi; quibus in externis adduntur adeps humanus, gallinaceus, suillus, œsypus, sevum, cera flava, propolis, sapa, tritici farina à furfurib. purgata, oleum commune benè maturum, non admodum vetus.

Emplastri vicem gerunt viva animalia admota, maximè catelli.

Ex aliis extemporanea Emplastra sic parabuntur.

℞. *Farin. tritic. vel nicæ pan. modicè ferment.* unc. ij.
Ol. communis unc. j.
Aq. calid. q. s. F. Cataplasma.

Vel ℞. *Fol. Malvæ*. M. j.
Butyr. unc. i.

Frigantur in sartagine, tum contundantur ad formam cataplasmatis.

Vel ℞. *Rad. alth. coctæ, & per setac. transmissæ*. unc. ij.
Farin. fœnugr. vel tritic. unc. j.
Ol. communis unc. j. sem.
Misce F. Cataplasma.

Par-

Partibus, & habitibus frigidioribus conveniunt Aq. calida perfusa, hydrelæum, lac, farina hordei, mala Cydonia cum lacte cocta, folia violæ purpur. & viscus pomorum.

Vulgare Emplastrum paratur ex mica panis cum lacte, & oleo communi, vel rosaceo.

Vel ℞. *Fol. malvæ.*
Violariæ an. M. j.
Coq. & contund. addendo.
Farin. hord.
Ol. communis, vel rof. an. unc.i.
Misc. F. Cataplasma.

Quòd si accidat ratione pravæ materiæ tumorem facientis, opus esse pus moventibus per accidens, hoc est, æquantibus excessum materiæ peccantis, quæ alias convenirent habitibus calidioribus, conveniunt tumoribus frigidioribus; quia materiam frigidam, & crassam calefaciunt, & attenuant; quæ convenirent habitibus frigidioribus, convenient calidioribus, quia materiæ fervorem compescunt.

Unde constat, temperariora proposita ad omnem occasionem esse aptissima, modò calidis, modò frigis mix-

ta; prout affectus suppuratione indigens ad frigidum magis, aut ad calidum vergere videbitur.

Venenis adversantia.

ALexipharmaca propriè talia sunt, quæ proprietate substantiæ, seu toto temperamento vim verè veneficam oppugnant.

Impropriè hoc nomen merentur, quæcunque venena ob evidentis qualitatis excessum rejiciunt, qualia sunt Epicerastica venenis exedentibus opposita.

Refrigerantia opposita venenis inflammatoriis, & calefacientia cardiaca, contraria venenis calorem extinguentibus, narcoticis.

Licèt verò singulis venenis propria conveniant alexipharmaca, quia tamen vera species veneni, nullis propriis, certisque, signis dreprehendi potest; fit ut ad omnia alexipharmaca, quæ venenis omnibus resistunt, & nativi caloris robur tuentur, semper confugiamus; quorum notitia ideo satis esse videtur ad venenorùm, tum præcau-

cautionem, tum curationem.

Claritatis autem gratia, tres statui possunt communiter alexipharmacorum ordines: alia enim adversantur præcipuè venenis in nobis natis, vel ab excellenti putredine, vel indicibili alia corruptione; & hæc peculiarem habent usum in febribus malignis, & peste. Alia opem ferunt venenis assumptis. Alia medentur venenis morsu, ictu, aut visu instillatis.

Febrium malignarum, & pestis Alexipharmaca, calida quidem convenient tempori, & habitui frigidiori; frigida verò, & temperata habitui, ac tempori calidiori.

Calidiora sunt; Carduus Sanctus, Carduus Stellatus, citrii cortex, & sem. dictamni albi radix, myrrhis, myrrha, scordium, morsus diaboli, ruta caprar. Scorzonera, Valerian. major. vincetoxici radix.

Temperatiora sunt totum citrium, succus ejusdem; præterea arantiorum, & limonum, borrago, buglossum, bistorta, bolus armena, cyanus uterque, cornu cervi, pimpinella vulgaris, pen-

taphyl. ſcabioſ. tormentil. terræ quæcunque medicatæ.

Ex his aliqua ſatis utilia parari poſſunt, bezearticis pretioſis, & exoticis non inferiora.

In primis utiliſſimus eſt hic ſyrupus ex toto citro, qui ſatis temperatus, & omni naturæ conveniens eſt.

℞. *Malum citr. benè matur. & ſucul. radula contritum, ponderans.* lib. j.
Rad. Scorzoner. unc. ij.
Herb. Scordii. M. ſem.
Sem. Cardui Sanct. drach. iij.
Aq. deſtill. ex ſucc. pomor. redolent. ex ſuc. Acetoſæ. an. lib. ij.
Spir. Vitrioli ſcrup. iiii. *vel ejus loco.*
Succi Limonum. unc. ij.

Tritis terendis, F. infuſio per hor. xx. vaſe optimè clauſo, tum leniter ebulliant ad conſumptionem tertiæ partis.

F. Poſtea fortis Expreſſio, Colatura ſenſim depuretur per digeſtionem calore leni, infundendo quotidie aliquot flores Arantior., vel citrii, uſque ad perfectam depurationem, tum adde.

Sac-

Sacchari fini lib. j. ſem.

Coquatur lentiſſimo igne ad liquidioris ſyrupi conſiſtentiam; cujus doſis eſt ab unc. ſem. ad unc. ii.

Optimum eſt quoque oxymel paulò calidius.

℞. *Scorzoneræ, Cardui Sanct.*
Scordii.
Rutæ Caprar.
Scabioſ.
Bugloſſ.
Acetoſ. an. M. j.
Rad. Scorzoner.
Tormentill.
Vincetoxic. an. unc. j.
Aq. Fontan. lib. iiij.

F. infuſio per diem, tum adde
Mellis optimi lib. j. ſem.

Coquatur lento igne ad perfectam deſpumationem mellis; facta expreſſione, & diligenti colatura, adde
Aceti optimi, in quo totum citrium rudula tritum contabuerit, ac bullierit unc. x.

Coq. lento igne ad oxymelitis conſiſtentiam.

Poteſt quoque acetum parati efficax, cujus cochlear j. aut alterum immit-

mitti poterit jusculis alteratis, aut cibis.

℞. *Citrium* integrum radula tritum. Num. i.

Cornu Cervi. præparat.
Boli Armeni lutei an. drach. ij.
Rad. bistort.
Tormentil. an. unc. j.
Sem. Card. Sancti drach. j.
Fol. Scordii P. j.
Acet. opt. per filtrum colati, ad eminentiam 4. digitor.

Omnia crassè trita infundantur aceto in phiala optimè clausa, & stent ad solem, vel in hypocausto per aliquot dies, agitando materiam quotidie, donec aceti color amplius mutari non videatur; tum F. colatura, & servetur usui in vase vitreo clauso.

Est hic pulvis febribus malignis utilis.

℞. *Bol. Armen. luteæ.*
C.C. præparati.
Rad. bistort.
Torment.
Sem. Card. Sancti.
Acetos.
Cortic. Citri. an. drach. i.

Cam-

Camphor.

Croci an. gr. v. Misce. F. Pulvis, dandus à drach. sem. ad drach. j. in jure, aut bolo reformato cum succo citri, aut limonum: immitti quoque potest panatellæ, aut ptisanæ: potest etiam cum portiuncula Tragacanthæ, solutæ in aq. rosf. aut suc. citri, probè subigi pulvis, reformatus in pilam compressam, lapidi bezoartico similem, quæ demum exsiccata diutiùs integris viribus durabit.

Exteriùs utile erit dictum acetum alteratum toto citro, pro odoramentis, & Epithematibus cordis additum proportionatis aquis, vel decoctionibus.

Ajunt sulphur continuè in ore gestatum præservare à peste.

Venenis assumptis conferunt, præter jam dicta, inter calida quidem Ammi, angelicæ utriusque radix, anthoræ radix, anisum, aristoloch. rotund. aromata omnia, brassicæ sem. carlinæ radix, caryophylleus flos, cruciatæ radix. Ericæ flos, & coma, enulæ rad. juniperi baccæ, ligustici rad. & sem. napi sem. nux juglans, polemonii rad. rutæ hortensis, unifol. rad.

Tem-

Temperatiora sunt, aq. in ophite vase asservata, ebur fossile, fungus cervinus, glandium quernarum decoctum, hyperici semen, terra Melitensis.

Datur dictorum pulvis ad drach. j. ex vino generoso, vel ex aceto tepido, aut utroque mixto.

Composita variè fingi possunt, pro cujuscunque arbitrio.

Celebre est, & antiquum antidotum ex nuce juglande, cum tribus rutæ foliis, & carica, quotidie mane sumptum.

Hùc etiam facit Theriaca Diatessaron dicta, paratu facillima.

℞. *Rad Gentian.*
Bac. lauri, (ad venena præferrens baccas *Juniperi*) *Myrræ*.
Rad. Aristol. rot. an. unc. ii.
Mellis despumat. lib. ii.
F. Electuarium.

Sunt quoquè ad venenorum, & pestis præservationem celebres, & paratu facillimi pulveris, Gryseus Cæsaris, & Saxonicus, quorum descriptio extat apud Veckerum lib. 2. Antidot. Spec. Sect. 20.

Hos

Hoc acetum valet quoque ad venena, & ad peſtem.

℞. *Rad. Angelicæ ſylv. in umbra ſiccatæ.*
Gran. Junip. an. unc. i.
Myrræ unc. ſem.
Fol. Rutæ. P. i.
Cinamom. drach. i.

Omnia craſſo modo tuſa infundantur, & digerantur per octiduum in aceti optimi (roſar. eſt melius) lib. i. ſem. tum coletur, & ejus ſumatur quotidiè mane cochlear unum jejuno ventre.

Exteriùs valet raphanus in taleolas diſſectus, ſub alis geſtatus, procurato interea ſudore.

Celebria ſunt olea Magni Ducis, & è Scorpionibus Matthioli; quorum loco alia minùs laborioſa, & æquè valida componi poterunt hac ratione.

℞. *Ol. benè maturi* (quò antiquiùs, eò eſt melius) lib. iii.
Vini alb. aromatici lib. i. ſem.
Rad. gentian.
Torment.
Imperator.
Vincetox.

An-

Angel. vulg. an. unc. i.
Summit. Hyperici.
Fol. Tabae.
Rutæ. an. M. i.
Gran. Juniperi. unc. sem.

F. infusio per quatriduum in vase optimè clauso, deinde bulliant ferè ad consumptionem medietatis. Facta expressione adde

Herb. scord. M. i.
Myrrhæ.
Aloes.
Croci an. drach. iii.

Iterum bulliant per 6. horas, & F. Expressio, & Colatura. Valet quoque hoc oleum ad vulnera venenata, & vermes.

Morsibus ictibusque venenatis interna quidem conveniunt alexipharmaca cardiacis mixta.

Externè verò eadem conveniũt mixta attrahentibus veneuum ad partem læsam, vulnusque tenentia apertum, quoad virus expurgatum sit: quod quadraginta ferè dierum spatio fieri solet, qualia sunt omnia aperientia calidiora, & rubificantia, de quibus alibi dictum est.

At

At propriè Alexipharmaca sunt; Ammi sem. aristol. long. radix, bdellium, Dictamnus uterque gladioli radix, gallorum gallinaceorum cerebrum, origanum, pimpinella; Saxifrag. radix, & sem. personata, ruta capraria, Tragopogi, & cujuscunque Scorzoneræ fol. & radicum succus. Sumuntur hæc omnia cum vino albo calido.

Idem ferè præstant alexipharmaca, pro assumptis venenis proposita. Illud autem universalitèr est sciendum, cujuscunque Animalis venenati carnem suo morsui, vel ictui admotam venenum extrahere. Inde celebris è serpentum aquaticor. sed maximè viperarum pulvis, ad venena quorumvis serpentum; imò, si famæ credendum est, ad omnia venena, tum curanda, tum præservanda, adeo ut pulvere semel sumpto ad drach. sem. ex vino aromatico, quidam affirment corpus à venenis immone per multos dies reddi.

Paratur autem hic pulvis tripliciter & primò quidem:

℞. *Cor, epar, & tres priores vertebras*

bras viperæ, vel colubri, exsicca in furno, tere in pulverem: adde *rad. imperatoriæ* part. æqu. Misc.

Secundò, caro viperina optimè lota vino albo, relicto corde, & jecore lentè exsiccetur, ut in pulverem teri possit, & per se usurpetur.

Tertiò, caro viperina exemptis interaneis, excepto corde, & jecore, incidatur, & per octiduum sale condiatur, tum includatur cribro undique benè munito, & subtùs excitetur quotidiè suffumigium odoratum quater, aut quinquies, injecto ignitis carbonibus pulvere ex myrrha, baccis lauri, juniperi, & caryophyl. quumque caro optimè redolere sentietur, includatur ollæ vitreatæ, operculo lutato probè munitæ, & indatur furno panario, ibique stare sinatur, donec tota carnium substantia cum ossiculis suis redigi possit in subtilissimum pulverem. Huic pulveri plus tribuunt recentiores, quam antiquæ Theriacæ, & Mithridaticæ confectioni.

Præter ista, habet rabidorum animalium virus certa quædam antidota, quibus per 40. dies sumptis, vulnere in-

interim detento aperto, arcetur rabies, & aquæ timor. Sunt autem alyſſum, cancrorum fluviatilium cinis, roſæ ſylv. radix, & pimpinella communis. Dantur ſcorſim, vel mixtim à drach. j. ad ii. ex vino albo; utiliter miſcentur radices gentian.

Galenus ſuum antidotum parat ex i. parte thuris, partibus v. gentianæ, & x. cancrorum fluviatilium crematorum.

Experientia quoquè probatum eſſe ajunt hunc pulverem, etiam ad ſanandum aquæ timorem, exhibitum in vino à drach. ſem. ad drach. ii. quotidiè tribus horis ante cibum.

℞. *Fol. polypod.*
Rutæ.
Verben.
Salviæ.
Plantag. anguſti fol.
Abſynth. comm.
Menthæ.
Arthemiſ.
Meliſſ.
Beton.
Hyperic.
Centaur. min. an. q.

Sic-

Siccentur in charta, & terantur in pulverem.

Hactenus de medicamentis oppugnantibus causam morbi principalem, à cujus ablatione morborum naturalium curatio inchoanda est, nisi adsit aliquando aliud urgens, quod trahat ad se curationem. Illi enim statim prospiciendum est, etiam ad tempus neglecta causæ, & morbi providentia, si urgens nullas det inducias, & citò mortis periculum inferat.

Urgere autem intelliguntur immediatè quidem, & per se primariò imbecillitas Spirituum Vitalium in omni deliquio, & syncope; mediatè verò, & secundariò vehementissimus dolor, continuæ vigiliæ, & immoderatæ quæque evacuationes, unde imminet spirituum dissolutio.

Istis urgentibus opponuntur roborantia spiritus, dolorem sedantia, somnum conciliantia, fluxus sistentia. Si morbus, aut causa principalis ob sui vehementiam, & ægri imbecillitatem induant aliquando naturam urgentis, ut calor febris ardentis in sene, & pituitæ crassities, ac lentor in-

fe-

febre exquisite quotidiana, non alia postulant remedia, quam per se contraria; de quibus partim dictum, partim dicetur infrà in censu remediorum morbos tollentium.

Symptomatum urgentium remedia.

SPiritus itaque roborantia, eosdem reficiunt, vel per accidens, tollendo causas, ob quas dissipantur; de quibus non est hic sermo: vel per se, tribuendo materiam, ex qua celeriter generari possint spiritus, & innatum cordis calorem roborando.

Roboratur cor cordiacis, de quibus intemperie.

Tribuunt materiam aptam, ut convertatur in spiritus, tum alimenta boni succi, & tenuis substantiæ; inter quæ præcellit vinum odoratum: tum odoramenta, quippe quæ tenues halitus spiritui affines cordi suppeditant.

In causa calida fiant odoramenta frigida, aut temperata, qualia prabent

ace-

acetum, camphora, rosæ, violæ, myrtus, cortex pomorum redolentium, & cydoniorum flavescentiam.

Optimum est acetum his materiis alteratum, facta per aliquot horas maceratione, vel levissima ebullitione, tum ad aeris alterationem, mixtum aquæ cubilibus inspergendæ, tum ad odoramenta naribus admovenda.

In causa frigida fiunt odoramenta ex flor. citri, Arant. Limon. veronic. coronar. Jasmin. lil. conval. rad. angel. cyper. valerian. hortens. fol. calamenth. montan. majoranæ, melis. menth. rorismarin. spicæ, lavend. Thym. cortic. citri. bacc. lauri, & juniper. & quibuscunque aromatibus.

Præstantissimum est acetum generosum, vel vinum jam dictis alteratum.

Excellit quoque odor carnis assæ, caryophylli, & cinamomo perpunctæ, quemadmodum & panis adhuc calentis, Malvatico vino, vel simili generoso inspersi.

In eumdem finem parari poterunt olea ex aromatibus, minimè laboriosa, & satis utilia pro narium, & cordis inunctione, si cum oleo communi cla-

claro, & minimè fœculento, atque pulvere cinamomi, vel caryophyllor. fiat veluti puls liquida, quæ in vase clauso finatur per aliquot dies in loco calido, deinde torculari exprimatur.

Dolorem sedantia sunt triplicia; Sanantia nimirum, quæ causam doloris tollunt, propria anodyna, quæ relicta causa, sensum partis demulcent; & narcotica quæ sensum omnino auferunt, vel stupefacta parte, vel inducto somno.

Sanantia huc non pertinent, tam latem enim patent, quàm morbi, & eorum causæ, à quibus solvi potest continuitas partis.

Propriè anodyna sunt, althæa, amygd. dulc. aq. tepida, anethum, chamomilla recens, fænumgræcum, lini semen, malva, melilotus, ovi vitellum, jus pingue.

Præter quæ, in externis conveniunt profomentis, animalia exenterata adhuc calentia, pulmones, & omenta animalium, lana succida, hydrelæum, lac præcipuè ovillum, & vaccinum calens, panis triticens mediocriter coctus adhuc calens.

Pro innunctionibus adeps suillus, gallinaceus, vitulinus, humanus, butyrum, sevum, mucilago, sem. lini, malvar. althææ, fœnugræc. & olea ex dictis herbis, & seminibus per decoctionem parata.

Sed præter anodyna communia, sunt quædam alia determinatis partibus dolentibus singulariter conferentia, quæ ideò specifica anodyna dici possunt.

Ad dolorem capitis ex quacunque causa efficacissimum est hoc oleum.

℞. *Succi verben. optimè depurati* lib. ii.

Ol. Rosar. simpl. lib. i.

Destillentur per alembicum lento igne cinerum, liquor abstractus denuò affundatur, iterumque destilletur, idque tertiò repetatur. Miscetur enim succus oleo inseparabiliter, eoque tepido imbuatur linteolum pro frontali, & illinantur suturæ.

Ad dolorem dentium, extollitur oleum destillatum per descensum è ligno buxi.

Dolori colico, certam opem affert cranium humanum præparatum, drac. j. pon-

j. pondere exhibitum, cum ſcrup. j. ſem. aniſ. in cauſa frigida; cum coriandris verò in cauſa calida.

Item pulvis teſticulorum Equi caſtrati ad drach. j. eadem ratione exhibitus prodeſt.

Ad dolorem hæmorrhoidum, excellit hoc oleum.

℞. *Rad. ſcrophular.* unc. iiij.
Chelidon. Major. unc. ii.
Spongiar. cynorrhod. innaſcent. num. iiii.
Sem. Agni caſti drach. ij.
Ol. commun. lib. ii.

Radices incidantur, reliqua ruditèr contundantur, & inſolentur per menſem, & ſerventur ad uſum; vel macerentur per oct. duum in loco calido, deinde coquantur ad conſumptionem humiditatis, & fiat expreſſio cum colatura.

Ad dolorem pectoris, ſingulariter valet oleum è ſem. lini ab unc. ij. ad iij. bibitum.

Ad dolores articulorum, expertum eſt hoc fomentum.

℞. *Fol. malvæ.*
Ebuli.
Plantag. an. M. i.

Aq. fabrorum. lib. ii.

Bulliant ad consumptionem tertiæ partis; facta expressione, & colatura, dissolvatur in ea salis nitri per sulphur purgati (quem appellant salem prunellæ] unc. sem. & linteum imbutum calidè applicetur parti.

Narcotica, eidem parti admota stupefaciunt, assumpta verò, vel odorata, aut capiti administrata somnum conciliant. Differunt qualitatis intensione à propriè somniferis, quia hæc mediocri frigiditate, & humiditate somnum conciliant; illa utriusque qualitatis excessu soporem inferunt, & si largiùs usurpentur, Carum, & Apoplexiam.

Est tamen quidam narcoticorum gradus; alia sunt miriora, quorum usus non tam est periculosus: alia valentiora, quibus non est utendum, nisi dolore, aut vigiliis valdè urgentibus.

Mitiora sunt, intrinsecùs quidem sem. papav. alb. ad drach. i. circiter, exteriùs verò in lotionibus, fol. solani hortensis, & papaveris sativi.

Valentiora sunt cicuta, hyoscyamus

al-

albus, mandragora, opium, stramonium rotundum: hyoscyamo nigro & stramonio longo satiùs est abstinere, ob insignem noxam, quam visceribus afferunt.

Ex aliis fiunt odoramenta, & lotiones pedum, & capitis, soli opio, & stramonio rotundo internus usus concedatur.

Datur Stramonii semen in substantia, à scrup. sem. ad scrup. i. circiter, in fusum à scrup. i. ad scrup. ii. Corrigitur vino generoso.

Opium datur à gr. ii. ad v. correctum croco, aut pipere, & vel in pilnerolo; Orientale opium nostrate paulò validius est, sed quia exoticum opium sæpè adulteratum ad nos convehitur, & aliquando magno pretio venditur, satius est purum ex nostrate papavere, hac Quercetanni ratione: Sume quamlibet quantitatem capitum papaveris hortensis, rubeum florem gerentis; quando jam primi flores explicati apparent, tunde in mortario lapideo cum pistillo ligneo, materiam pone in vitro capaci, & tan-

tantum aceti albi generosi affunde, donec materia optimè irrigata sit, & acetum duobus transversis digitis superemineat: digerantur per quindecim dies circitèr, quumque acetum rubescere incipiet intensè, includatur materia lineo sacculo, & fortiter exprimatur; quod expressum est, lento igne evaporet ad melleam consistentiam, quam adhuc calentem coniice in aqua frigidam, ut materia coaguletur, tunc oxime, & humiditatem absterge.

Cæterum ex compositis Narcoticis duo sunt præstantissima, & [illegible]

Primum est Guainerii pro usu externo.

℞. *Opii*.
Succ. Hyoscyami.
Mandragor.
Mororum immaturor.
Lactucæ.
Hederæ arboreæ an. unc. i.

Dissolve opium succis, eo dissoluto imbue spongiam, & ad solem per 15. dies exsicca, cum utivoles, merge spongiam in aqua tepida, & naribus ad-

admove. Retinet hæc ſpongia vim ſuam per aliquot annos.

Alterum inſerviet uſibus internis, Laudanum nimirum, quod bidui ſpatio parari poteſt hac ratione.

℞. *Extract. Croci* ſcrup. i.
Extr. ſpec. diamoſchi ſcrup. ii.
Extr. opii præparat. ſcrup. iiii.
Miſc. & cum *guttis* iij *ol. caryophyl.* deſtillat. malaxa.

Crocus, & ſpecies extrahuntur aqua vitæ, opium verò aceto deſtillato.

Præparantur autem opium, ſi ſubtiliter conciſum lento calore exſiccetur, donec fumum amplius non emittat, & digitis tritum in pulverem redigatur. Hujus poſis eſt à gr. i. ſem. lias pertinaces ſiſtit, & immoderatos, acreſque fluxus compeſcit.

Somnum conciliant etiam Narcotica, & quidem tanto potentiùs, quàm verè ſomniſera, quantò validiores cauſas requirit ſopor, quàm ſomnus. Quo fit, ut ferè ſomniferis non conferentibus; tandem veniendum ſit ad narcotica, ſeu ſoporifera jam dicta.

Verè autem ſomnifera ſunt Amygd. dulc.

dulc. & earum emulsio, lac quodcunque, lactuca sativa, muscus arboreus recens, nymphea, sempervivum majus, viola purpurea, umbilicus Vener. & vinum oligophorum bene lymphatum. Horum administratio varia.

Jura carnium alterantur lactuca, & violis.

Datur emulsio amygd. dulc. ex decoctione lactucae; editur lactuca cocta condita aciditate arantii, citri, aut limonum.

Ex herbis fiunt decoctiones pro capitis, & pedum lotione.

Parari potest pro illitione narium, & temporum, extemporaneum oleum hac ratione.

℞. ~~Herb. Ia~~.

Sempervivi mai.

Solani hortens. an. M. i.

Ol. Commun. unc. viii.

Coq. lento igne ad humiditatis consumptionem, exprime, & cola.

Eumdem habet usum oleum violatum, & nenupharin. officinar.

Fluxum sistentia illla omnia sunt, quae materiam pravo motu agitatam

sedant repellendo, revellendo, intercipiendo, viasque adstringendo; ideo non sunt hoc in loco recensenda.

Quæ nonnullis fluxibus magis appropriata esse videntur, peculiariter annotabuntur in usu astringentium.

Restat ergò enumeratio medicamentorum pellentium morbos, quorum usus est maximè post causæ,& urgent is ablationem. Morborum autem tria summa genera statuuntur, intemperies, mala conformatio, & soluta unitas.

Alterantia morbosum Intemperiem totius, & partium.

Quamvis morbosæ intemperies sint octo, quatuor simplices, totidem compositæ, non est necessarium octo alterantium ordines constituere. Primò, quia intemperies compositæ curantur simplicibus alterantibus mixtis, atque compositam qualitatem, prout exigit necessitas, producentibus; deinde, quia inter qualitates simplices humiditas, & siccitas tolluntur ferè medicaments

calidis, aut frigidis: humiditas enim excrementitia curatur, tum calidis rarefacientibus, & absumentibus; tum frigidis exprimentibus; tum aridis utriusque generis cohibentibus humiditatem.

At morbosa siccitas, quum supponat defectum nativæ humiditatis, quę non restituitur medicamento, sed alimento, tollitur potiùs congruo victu, & aliquo calore in exsiccata parte excitato, cujus beneficio sanguis eò attrahatus, & faciliùs concoquatur. Itaque satis erit proponere medicamenta calefacientia partes refrigeratas, & refrigerantia calefactas, siquidem utrisque simul mixtis facilè erit medicamentum in activis temperatum conficere, in passivis autem humidum, & siccum, prout necessitas, & tollenda intemperies postulare videbitur.

Alterantium porrò medicamentorum quum duplex sit genus, alia sint determinata, à quibus certæ partes magis affici videntur: alia sint indeterminata, quæ in totum corpus indifferenter agunt, sufficiet proponere tantùm alterantia determinata; quoniam

totius corporis intemperies alicujus præcipuæ partis noxam ſequitur, cujus remedia, & toti corpori opem ferunt.

Alterantia determinata ſumunt nomen à parte, quam juvant, unde Cephalica à capite, ab oculis Ophtalmica, ab articulis Arthritica, à nervis Neurotica, a partibus ſpiritalibus Pneumonica, à corde Cardiaca, à ventriculo Stomachica, a Jecore Hepatica, à ſplene ſplenetica, a Renibus Nephritica, ab utero Hyſterica denominantur.

Alterantia caput.

CEphalica calida, quæque refrigerato capiti conveniunt, præcipua, & magis obvia ſunt Abrotanum, betonica, buxi lignum, calamenthum chamædrys, hyſſopus, lauri folia, & baccæ, lavendula, majorana, præonia, roſmarinus, ruta hortenſ. & capraria, ſalvia, ſatureja, ſerpillum, ſtæchas, thymus, viſcus quernus, valerianæ ſilveſtris radix, aquæ thermales ſulphureæ debito modo hauſtæ.

Ex aliis parantur decocta, electuaria, & vina medicata, loco confectionum, & conservarum officinalium.

Exemplum decocti.

℞. *Limatur. ligni buxi*. unc. ij.
Visci quercini subtiliter incisi. unc. i.
Aq. communis lib. vi.

F. Infusio per horas xv. postea adde
Fol. Betonic.
Calamenthæ.
Majoran.
Salviæ. an. M. i.
Rad. pæoniæ. unc. sem.
Bacc. Lauri unc. i.

F. infusio, & decoctio lento igne ad consumptionem tertiæ partis, & F. Colatura, cujus exhibeatur lib. sem. pro una vice, per aliquot dies.

Antiqui in curanda intemperie non admodum recenti, quadraginta circiter dierum spatio sua medicamenta administrabant, quorum exemplo nunc ut plurimum insistimus.

Exemplum Electuarij.

℞. *Beton.*
Calamenth.
Chamæd.
Majoran.

Rosmarin.
Salviæ an. M. i.
Satureje.
Hyssop. an. p. i.
Bacc. Lauri.
Thuris an. unc. ii.
Mellis despumat quadruplum.
Misc. F. Electuarium.

Cujus exhibeantur drach. ij. circiter per multos dies, vel ante decocti assumptionem, vel vesperi ad ingressum lecti.

Vina medicata magis commendantur ex infusione rorismarini.

Exteriùs probantur lotiones, & stillicidia, vel aquar. thermalium sulphuratarum, vel decoctionis dictarum herbarum, præsertim paratæ ex lixivio, cui addi potest rad. arundinis, folia asari, & hederæ muralis.

Ex iisdem herbis addita portione Thuris, fiunt, pulveres inspergendi futuris.

Utile est quoquè suffumigium Thymi, & majoran. tubulo exceptum, eo modo, quo tabaci fumus excipitur.

Denique fiunt oleo per decoctionem dictarum herbarum, pro temporum,

rum, narium, & futurarum illitione.

Refrigerant calefactum, cerasa nigra, cranium humanum ustum, hordeum, ligustri flos, portulaca, rosæ, salicis flores, vitis capreoli, & omnia somnum conciliantia, ex quibus parabuntur decoctiones.

Excellit potus rectè institutus aquæ Thermalis ferratæ; qualia in Italia est Calderiana, Villæ, Lucensis, & B. Virginis Patavina.

Externè fiunt frontalia ex posca, maxime alterata fol. salicis, myrti, lactucæ, violar. & solani hurtensis.

Fiunt capitis irrigationes ex eodem decocto, vel lacte tepido.

Fiunt oxyrrhodina ex ol. rosaceo, & violato, cum quarta parte aceti.

Fiunt odoramenta ex rosis, & Violis.

Utilissimum est acetum his floribus alteratum, addito tantillo camphoræ.

Laudatur quoquè oleum per insolationem factum ex floribus salicis, pro narium, & temporum illitione.

Oculos alterantia.

O*Culis refrigeratis, vel sinè materiæ crassæ affluxu*, conveniunt chelidonium majus, Euphrasia, fœniculum, ruta hortensis, Verbenaca. Ex quibus fiant decoctiones, & electuaria pro usibus necessariis internis.

Commendatur usus Vini Euphrasiati.

Exteriùs fiunt fomenta ex dictis decoctionibus, quibus utiliter miscebuntur anagallis, & fœnumgræcum probè lotum, nec non momentum Croci, aut aquæ Vitæ.

Confert fotus aquæ marinæ cum tantillo croci.

Præstantissimum est seqaens Collyrium ad oculos corroborandos, omnemque nubeculam, & suffusionem non confirmatam discutiendam; præterea ad omnem fluxionem frigidam, quodcunque vitium oculis inferentem

℞. *Vini Malvat.* lib. iii.
Gran. Tritici.
Sem. fœnicul. an. M. sem.
Cinam. elect. confracti, unc. ii.

Ce-

Caryophyl. contus. scrup. iiii.
Fol. Ratæ.
Cimar. Tauri an. P. sem.

F. infusio per diem naturalem; deinde coquantur lentissimo igne ad consumptionem quintæ partis, F. Colatura, adde

Tutiæ præparatæ. drach. ii.

Misce, & cum uti voles, decoctum agita, & tu ba. Si ad nebeculam, & suffusionem paretur, servetur in æneo vase ad usum, aliàs reponatur in vitro.

Calefactis conveniunt Cephalica frigida pro usibus internis.

Exteriùs confert fomentum, & frequens instillatio lactis tepidi, quo thus ignitum restinctum sit.

Si fluxio sit valdè acris, addatur quarta pars albuminis ovi.

Urgente dolore, & acerrima fluxione, instilletur tantillùm emulsio. sem. papav. albi ex eodem lacte factæ.

Fiat quoque cataplasma ex pomo dulci in lacte cocto, & contuso, quod certè juvabit.

Valent quoquè fomenta aquæ flu-

vialis tepidæ,in qua thus ignitum aliquoties extinctum sit.

Alterantia articulos.

A*Rticulis refrigeratis* conveniunt chamæpytis,seu iva arthritica, helichryson, juniperi lignum,& baccæ, lignum lentiscinum, resinæ quæcunque, maximè Terebinthinæ, salviæ, & smilacis asperæ radix.

Inter composita duo excellunt. *Primum* est usus Terebinthinæ per xv. dies circiter mixtæ,cum iva Arthetica,& in bolcs reformatæ hac ratione.

℞. *Terebint.* unc. ii.
Pulv. ivæ arthetic. drach. v.
Misc. F. bolus.

Pro una vice. Si corpus sit humidum, utiliter miscetur scrup.sem.trochisc. de Vipera, vel alicujus.pulveris Viperini descripti.

Dantur hiboli soli, vel media hora circiter antè conveniens decoctum.

Alterum decoctum est ligni lentiscini,sumendum per plures dies, cum tenui victu, & sudore, prout necessitas postulare videtur. Exempli gratia.

℞.

℞. *Ligni lentiſcini*. unc. ii.
Juniper. vel *viſci quercini* unc. i.
Aq. fontan. lib. vj.

Materia inciſa infundatur per diem naturalem, deindè addantur.

Fol. Betonic.
Ivæ,
Roriſmarin. an. M. i.

Bulliant lento igne ad conſumptionem tert. partis, f. Colatura. Doſis unc. viii. pro una vice.

Exteriùs conveniunt balnea, & luta thermalia, ſulphurata, & aluminoſa.

Præterea fomenta ex Vino rubro generoſo, alterata Iva, ebulo, roremarino, tabaco, & myrthi foliis, addito pauxillo ſalis, & aluminis.

Item Illitiones ex oleo, & adipe vulpino.

Tandem ad articulorum corroborationem conferunt Vinacea calida, & frictio cum oleo antiquo, e quarta parte ſalis.

Turcæ magna cum utilitate inuruot articulos, ſed igne ſuavi, neque admodum moleſto; imbuunt enim linteolum lineum aqua ardente, accenſum

ſum impingunt in articulum, ſicque reſtinguunt.

Compertum eſt, dolores articulorum uſu ſequentis aquæ per integrum annum, etiam antiquos, vel omninò ſanari, vel longè mitiores, & infrequentiores reddi.

℞. *Summitat. & flor. Roſmarin.* partes ii.

Aq. vitæ ræctificatæ par. iii.

F. infuſio in Vaſe optimè clauſo per horas quinquaginta; tùm deſtilletur per B. M. vaſe ex omni parte benè munito. Hujus aquæ drach. i. ſumatur, vel cochlear. unum ſingulis ſeptimanis [illegible]tidie mane lavetur cum ea facies, & articulus læſus.

Calefactis articulis conferunt internà quidem oſſa humana cremata, ad drach. i. circiter, aliis refrigerantibus mixta.

Item decoctio ligni lentiſcini, correcta roſis, & myrthi foliis.

Externè convenit poſca, maximè cum aceto roſaceo, aqua pluvialis chalybeata, vel aqua fabrorum, alterata roſis, pampinis; & myrtho; cui utiliter additur ad humoris diſcuſ-

ſio-

ſionem portiuncula lapidis prunellæ.

Pro illitione valet ol. roſ. myrthin. & ranarum.

Parantur etiam ex tempore remedia per decoctionem facta dictarum materiarum.

Tale linimentum erit utiliſſimum ad leniendum dolorem ex calida, & acri fluxione;

℞. *Ol. Roſac. compl. lumbr.* unc. i. ſem.
Myrthin. unc. i.
Mucilag. ſem. Cydonior.
Pſillii.
Malvar. an. drach. ii.
Ceræ aq. fontan. ſæpius lotæ unc. ſem.
Miſc. F. Linimentum.

Alterantia nervos.

N*Ervis refrigeratis* præcipuè conveniunt chamædriis, caſtoreum, cerebrum leporis aſſum, centaur. majór. rad. Hypericum, Lavendul. myrrha, nuclei pinei, peucedanum, primula veri, Spica Italica, ſalvia, & trifolium bituminoſum.

Ex his componuntur aliqua efficacia,

cia, maximè verò decoctum, quale est arthriticum descriptum, addita chamædry, & primula veris.

Item bolus ex terebinthina, cum drach. i. circiter Cerebri leporis assi, & scrup. i. circiter castorei.

Exteriùs singularem usum habent balnea, & luta thermalia, sulphurea, & bituminosa.

Item fomenta ex vino generoso di-ctis herbis alterato, addita portione aquæ ardentis.

Pro inunctione fiunt olea per decoctionem dictarum herbarum, cum quibus aliqua lumbricorum terrestrium Vino ablutorum quantitas bullierit.

Duo præstantia parantur linimenta *pro nervorum frigis affectibus*, quorum alterum Spasmo ex repletione; alterum paralysi, stupori, ac tremori utilissimum est.

Primum paratur ex stellionibus hoc modo:

℞. *Stelliones num. V.* vel eorum loco, *lacerdas virides*.

Infunde vivos *in Olæo Chamæmel.* unc. viii. cumque interierint, bulliant

in

in eodem usque ad colliquationem carnis, mox fiat expressio, cui adde tertiam partem liquaminis anseris assati, repleti thure, larido, myrrha, & portione croci,

Alterum paratur ex anseris pinguedine hac ratione.

℞. *Fol. chamædryos*,
Ivæ arthriticæ.
Primul. veris.
Lavend.
Hyperici.
Salviæ. an. M. i.
Gran. Iunip. unc. sem.
Myrrhæ.
Thuris an. drach. iij.
Castorei. drach. i. sem.
Croci. drach. sem.

Herbæ irrigentur aqua Vitæ, deinde tundantur, & cum reliquis fiat farctura, qua impleatur anser, cinnamomi frustulis perpungendus, deinde in veru assandus. Collige liquamen, cumque nihil amplius diffluet, dissecetur anser, & bulliat in vino albo per horam, supernatantem pinguedinem collige, & misce priori liquamini.

Sunt, qui oleo per arenam ex lumbi-

bricis terrestribus vino generoso ablutis destillato, tantum tribuunt, ut eo solo paralysim curari posse affirment.

Calefactis nervis eadem conferent, quæ pro articulis descripta sunt, exceptis cramatis ossibus.

Alterantia partes spiritales.

HÆc cum calida, tum frigida, quæ materiam viis spiritalibus inhærentem educunt, jam proposita sunt in censu vacuantium pectus per sputum: eadem quoque corrigendis pulmonum intemperantiis aptari possunt, sed præter illa peculiariter valent ad calefaciendum, & siccandum pectus.

Aqua Thermalis sulphurea pota.

Caricæ aliquot aqua vitæ maceratæ, donec turgeant, sumptæ jejunio ventre, & in ingressu lecti.

Decoctum Enulæ, farfaræ, hyssopi, prassii, pulmonariæ, saturejæ, Thymi. Evadet decoctum præstantiùs, si fiat cum gallo veteri, dictis herbis infarcto; iisdem opportunè alterabitur

tur mulſa plenior pro ordinari potu, aut Oxymel inde componetur quotidie manè ad unc. ii. exhibendum.

Veteribus familiare erat vinum mulſum, præſertim hyſſopo, aut thymo alteratum; cujus uſus per quadraginta dies, aut plures, exhibito victu tenui, tuſſes & ſpirandi difficultates perſanabat.

Omnibus præcellit ſulphuris uſus, & Terebinthinæ, vel alicujus reſinæ, maximè Laricinæ, & Abjetinæ.

Dabitur quotidiè drach. j. ſulphuris, maximè præparati, & in pollinem redacti, cum ovo ſorbili.

Reſina datur ad drach. ii. quæ præſtans erit, ſi calida bibatur diſſoluta unc. ij. Oxymellitis.

Externè conſerunt balnea ſulphurea, mora propè ſulphureas Thermas, in aere vaporibus calidis, & poteſtate ſiccantibus pleno.

Vel fiant cataplaſmata pectoris, ex farina meliloti, fœnugræci, pulveris hyſſopi, calamenthi, & portione ſulphuris cum melle, Vino albo, & oleo de ſeminibus lini in debita quantitate.

Calefacto pectori conveniunt præter pro-

proposita, cum expectorandum sputum salsum, potus, aquarum Thermal. acidularum, tùm ferrearum, & chalybeatarum.

Usus Lactis, nisi obstet destillatio, & decoctio; vel ligni santalorum rubrorum, vel ligni Rhodii, maximè radicis, sumenda per plures dies, cum victu tenui ad frigidum vergente. præcipuè ex hordeo, & seminibus frigidis majoribus.

Decoctio talis esse poterit.

℞. *Santal. rubr. vel ligni Rhodii minutim incisi* unc. j.
Rad. Cicborii.
Hordei. an. unc. sem.
Aq. fontan. Chalibeat. lib. ii.

F. infusio per horas xv. tum bulliant ad consumptionem medietatis, & F. Colatura pro duabus vicibus.

Hujus decocti usu corpora calida tabi obnoxia ab hoc malo præservari possent, quemadmodum etiam a sputo sanguinis imminente.

Celebratur etiam frequens usus conservæ rosar. tùm ingressu lecti, tùm mane jejuno ventre; præsertim si infundantur aliquot guttulæ spiri-

tus acidi ſulphuris.

Pro externa refrigeratione ſuffi-cient illitiones ex oleo, vel unguento violaceo paratæ.

Alterantia Cor.

CArdiaca ſunt multa quidem ex alexipharmacis venenorum aſ-ſumptorum, omnia verò propoſita pro alexipharmacis febrium malignarum, & peſtis: ſed præter illa conveniunt cordi refrigerato aromatica cujuſcun-que generis, aurantior. cortex, angeli-ca odorata, calendula, calamenth. montana, caryophylleus flos, cardiaca herba: caryophyllata, lilium conval-lium, hedera terreſtris, Lavendula, meliſſe, mentha, ocymum quodcun-que, petaſitis radix, roſmarin. ſpica Celtica, & Italica, Ulmaria,

Ex his confici poterunt ſyrupi. De-coċta, Electuaria, item pulveres, ac ſpecies inſpergendæ cibis.

Optima erunt ad hoc opus compo-ſita jam deſcripta pro venenis aſſum-ptis, & in corpore natis, febremque malignam inferentibus.

Item

Item calida reficientia ſpiritus etiam propoſita.

Poterit quoque parari vinum medicatum, quod per ſe cordi eſt amicum. Exempli gratia.

℞. *Herb.Calamenti lib.montan.*
Scordii.
Rucæ capraria.
Lavendul.
Meliſſæ.
Roſmar.an. M. j.
Rad. Caryophyllatæ.
Dictamn. alb.
Imperator.
Cortic. Arantior.an.unc. j.
Mirræ.
Cinamom.
Garyophyllor.an.unc.ſem.
Croci drach. j.

Terantur ſeorſum in pulverem, tùm indantur manicæ Hippocratis, & per pulverem traiiciantur vini albi aromatici lib.vj.quater, aut quinquies; cuius Vini dari poterunt unc. ij. circiter pro una vice. Si traiiciatur eo modo aqua Vitæ, erit medicamentum efficacius, & dari poterit ad cochlear.

Pro externis remediis parētur ſacculi

ex dictis herbis, & aromatibus ad regionem cordis gestandi

Item fomenta ex vino aromatico iisdem rebus alterato, addita semper portione croci ad majorem penetrationem.

Denique illitiones fiant oleis eorumdem simplicium decoctione paratis; aut oleis aromaticis ea ratione paratis, quæ exposita est titulo Reficientium spiritus.

Cordi calefacto conveniunt temperatiora pro venenatis febribus proposita:& præterea ebur, flos salicis, mater perlarum præparata, myrthus, nymphæa,os de corde cervi, poma redolentia, rosæ, santala, violæ.

Ex his habes aliqua composita inter alexipharmaca febrium pestilentium.

Utilissimus erit quoque usus conservæ violar.aut rosar.cum scrup.j. salis ex matre perlarum, pro una vice,

Fiet autem sal,si matrem perlarum ustam dissolvas aqua borrag. calida, addita portione aceti rosac.tùm destilles per filtrum, ac tandem coagules, facta totius umiditatis evaporatione

Externè fiunt Epithemata ex.aq.flo. sa.

ſalicis, roſar. viol. nymph. addito ſucco citri, aut limonum, aut aceto roſ. ad penetrationem; ac ſi præſto ſit camphora, imponantur quoque v. aut vj. ejus grana. Aquarum loco ſumi poſſunt decoctiones borrag. biſtor. Cyani, nymph. & viol. cum iiſdem ſuccis ex aceto roſac.

Alterantia ventriculum.

S*Tomachica calida præcipua, & magis obvia ſunt* abſynth. cujuſcunque generis, ſed præcipuè commune, & Ponticum, arantior. & citri nortex, ac ſemen amygd. amar. gentiana, major. mentha, origanum, roſmarin. & aromatica omnia; inter quæ præſtant zodoaria, zinziber, galanga, & piper.

Ex compoſitis paratu facilibus cōmendatur vinum abſynthites, oxymel ſimplex, abſynthites.

Aqua vitæ, alterata maceratione abſynthii in umbra ſiccati, additis, ſi lubet aromatibus.

Vinum generoſum, quale fiet trajectum per aromata, ſem. odorata, aut dicta ſimplicia trita, ad unc. ij. per

multos dies, jejunio ventre, sumptum cum gr.i.aut.ii. piperis crasse triti.

Confert etiam potus aquar.thermar. sulphurat. & salitarum. Utilissimum erit tale oxymel, si ejus quotidie accipiatur cochlear unum, aut alterum.

℞. *Herb. Absynth.*
Calament.
Summitatum Rosmar.
Ment. an. M. i.
Cortic. arantior. aut Citri.
unc. i. sem.
Anisi. Cinamom. an. drach. i.
Melli. lib. i.
Vini albi generosi lib. iii.

Coquantur lento igne ad mellis despumationem; colaturæ adde.
Aceti optimi lib. sem.

Coq. ad syrupi consistentiam; cum refrixerit, iniice zinziberis subtiliter pulverizati drach. ii. Prodest quoque mirum in modum quotidie sumere ex ovo sorbili, drach. i. circiter mastichis pulveriz. cum momento zinziberis, aut zedoariæ.

Exterius conferent thermarū sulphurear. stillicidia, quę deficientibus aquis parari poterunt ex vino, præsertim rubro

bro generoso, alterato prædictis herbis, unde etiam fient fomenta.

Vulgus parare solet optima fomenta ex absynthio super tegulam calefacto, & conspersso vino Malvatico.

Item ex pane leviter tosto, tum conspersso vino malvatico, & pulveribus aromaticis, præcipuè caryophyllis, galanga, & mastiche.

Parentur olea pro illitione, ex unius, aut plurium simplicium decoctione: v. gr.

℞. *Herb. Absynt. commun.*
Menthæ.
Origan.
Calamenthi.
Lavendulæ. an. M. i.
Summitat. rosmar. M. sem.
Ol. Commun.
Vini Aromati. an. lib. i.

Coquantur lento igne ad consumptionem humiditatis, & F. expressio cum colatura, & servetur ad usum.

Calefacto Ventriculo conferunt aciditas aranrior. agrestæ, beberis, cerasa acida, corni fructus, citonea mala, granator. acidor. succus, hypocistis, labruscæ flos, mala austera,

morus immatura, pyra austera, pruna silvestria, (quorum succo Acaciæ loco utuntur Officinæ) ribes vulgaris, rosæ, sorba, succus Rhois, seu sumach, trifolium acetosum, uva crispa, vinum austerum benè lymphatum.

Dari poterunt dictorum fructuum, & herbarum succi, vel decoctiones cum emulsione 4. sem. frigid. major.

Opportunus est quoque usus lactis asinini, aut caprili, temperati sexta parte circiter alicujus ex dictis succis, ne in nidorem vertatur.

Convenit tandem etiam potus thermarum acidularum, aut ferrearum; quales sunt in Italia Calderianæ, Lucenses, Lucerianæ, & B. V. montis Ortonis.

Exteriùs fiant fomenta, & epithemata ex decoctione rosarum, myrthi, balaustior. cydonior. malicor. hypocistid. labruscæ, addita portione aceti rosacei.

Utilissimum Emplastrum ex pulpa Cydonii cocta in aqua pluviali, vel chalybeata, respersum momento pulveris mastiche, & rof. rubr. Loco cydoniorum sumi poterunt mala austera.

Il-

Illitiones fient ex oleo, cum dictis herbis decocto ad humiditatis consumptionem, addita semper portiuncula ceræ, aliquoties posca ablutæ, ut diutiùs hæreat vis medicamenti loco affecto.

Exsiccato ventriculo, cum defectu nativæ caliditatis, nihil præstantiùs lacte per multos dies usurpato, 5. aut 6. horis circiter ante cibum, sumendo sensim, ab unc. iiii. incipiendo, usque ad unc. vi. circiter, recens mulctum, & cum quarta parte mellis circiter, ne acescat.

Exteriùs juvabunt fomenta, ex oleis præcipuè, aut non valde calefacientibus, aut exceptis lana succida.

Conferent etiam fricationes factæ cum pice liquata momento olei absynthii, & ad partem relicta usque ad modicum illius ruborem. Interim noctu fovendus est ventriculus, vel admoto catello, aut manu propria, vel puello impubere.

Intestina Alterantia.

INtestinis eadem ferè conveniunt, quæ ventriculo ob partium connexium, & ejusdem substantiæ proprietatem.

Refrigeratis tamen, ut in colico affectu sæpè contingit, peculiariter conveniunt cuminum, baccæ lauri, ruta, & aurantior. cortex. Dari poterit eorum pulvis ad unc. i. ex vino aromatico, vel emulsione sem. citri, aut aurant.

Commendatissimum est vinum medicatum diuturna maceratione cortic. aurantior. ad doloris colici curationem, & præservationem, si quotidie usurpetur.

Ad idem efficacissima est theriaca diatessaron, descripta inter alexipharmaca, exhibita ad unç. i. per se, vel cum vino aromatico.

Hæc eadem Clysteribus infundi possunt, quacunque forma. Quibus utilissimè adduntur ol. nucum, colocynthidis decoctum, & terebinthina, vel resina abietina, aut laticina disso-

lu-

luta cum oleo.

Exempli gratia.

℞. *Decoct. chamæmeli.*
Fol. lauri.
Colocynth. in petia ligati lib. i.
Ol. Laurin vel *ol. nucum* unc. iii.
Mellis crudi.
Terebint. an. unc. ii.
Salis commun. drach. ii.
Misc. pro clystere.

Exteriùs apprimè convenjunt illitiones ex oleo laurino, & rutaceo; nec non luta thermarum.

Calefactis intestinis utilia omnia refrigerantia Stomachum, & hepar. sed primas tenent aqu. acidulæ, & ferratæ thermales, potæ jejuno ventre.

Lac clysteribus additum, & medii abdominis irrigatio frequens, posca subfrigida, quo medio dolores intestinorum a tenui, & mordacissima bile facilè, & citò mitigantur.

Alterantia Jecur.

Ecori refrigerato conveniunt absynthium, agrimon. chamapiys, gentiana quæque, lavendula, luniperi bac-

cæ, & lignum polium, ſpina Celtica, & Italica, quibus adde aromata omnia, & diuretica calidiora.

Inter compoſita maximè probantur vina generoſa, medicata, abſynthio, & aromatibus, qualia propoſita ſunt pro ventriculo.

Optimum eſt quoque ligni Juniperi decoctum, addita coma abſynthii. Quod gratius evadet, addita portione mellis optimi deſpumati, præſertim ſi coquantur cum vino albo generoſo in julepi conſiſtentiam. Qua ratione fieri poterunt ex aromatibus, & diureticis calidis varia decocta, addito ſemper abſynthio.

Externa convenient fomenta ex vino aromatico dictis remediis alterato

Item luta thermarum ſulphuratarum.

Illitiones oleo ex dictis ſimplicibus per decoctionem compoſito, quale deſcriptum eſt pro ventriculo.

Denique ſacculi ex iiſdem materiis rariori linteo incluſis, ſuper Iecoris regionem geſtati.

Calefacto verò jecori maximè conferunt inter ſimplicia. Acetoſa, cichor.

cu-

cucurbitæ pulpa, & sem.citrulli pulpa & semen, Endivia, Epatica, hieracium, hordeum, lapathum quodcunque, lactuca, lac (si absint obstructiones, & febris) maximè acetosum, melonum pulpa, & sem. portulaca, scariola, sonchus, Taraxacon, trifolium acetosum, serum lactis solum, vel cum emulsione 4. sem. frigidor. major.

Ex herbis fiunt decoctiones in aqua, aut jure: vel exprimuntur succi, qui reservantur ad hyemem, tùm depurati, tùm condensati: illi ab unc. i. ad ii. misc. juri carnis hyberno tempore; hi verò à drach. j. ád drach. ii. dantur, & formantur in bolos, vel dissolvuntur in aliquo liquore.

Comeduntur herbæ quoque olerum more elixæ in aqua, aut jure carnis.

Ex hordeo fit ptisana, quæ gratior redditur, dealbata emulsione sem. melonum, aut cucurbitæ: cujus usus utilis est quoquè in panatellis.

His omnibus addantur aquæ naturales, vel acidulæ, vel ferratæ, recensitæ pro temperando ardore ventriculi. Illarum enim congruo potu nihil

est

eſt præſtantiùs ad jecoris refrigeratio-nem.

Exteriùs conveniunt Epithemata ex ſuccis, & decoctione potiſſimum cichorei, & ſonchi, cum octava parte aceti roſacei, vel aceti vulgaris, in quo tantillum abſynthii cum roſis bullierit.

Ex violis quoquè, & roſis parabitur oleum pro illitione: quod etiam efficaciùs fuerit factum per decoctionem herbar. propoſitarum, cum oleo communi, ad conſumptionem humiditatis.

Sed omnibus remediis præſtat balneum aquæ dulcis toti corpori adminiſtratum, poſt debitas evacuationes, niſi febris obſtet.

Alterantia Lienem.

Lieni refrigerato peculiariter accomodantur agni caſti ſemen, borrago, bugloſ. capparum radicum cortex ceterach. cuſcuta, filicis radix, fraxini cortex., & ſem. fumaria, hederæ muralis, baccæ benè maturæ, lingua cervina, lubuli flos, & radix, oſmundæ ra-

radix, tamariſcus, Teucrium, Thymus. Horum pulveres bibantur ad drach. i. per 40. dies, ex ſtino abſynthite chalybeato, aut aq. fabrorum.

Ex his componi poſſunt extemporanea decocta, vina medicata, & Electuaria.

Excellunt decocta ligni fraxini, Tamariſci, Teucrii montani, & chamædryos, præſertim reſtincto chalibe novo, vel parata ex aqua fabrorum clarificata.

Sunt qui ex aceto, maximè paſſulata, hæc decocta parant, ad minuendos extuberantes lienes. Si acetum ſcylliticum ſit præ manibus, utiliter miſcebitur decoctis ad ſemicochleare.

Vina parantur maceratione dictarum materiarum, fiuntque præſtantiora, addito chalybe præparato cum cono ſulphuris: quæ præparatio fieri poteſt eo tempore. Exempli gratia.

℞. *Fol. Chamedry.*
Cuſcut.
Ceterach.
Fumar.
Bugloſ. an. M. i.
Sem. fraxini.

Bac.

Bac. hederæ mural. an. drach. ii.
Tymi.
Absynthii. an. p. i.
Chalybis præparati unc. i.
Vini albi generosi lib. iii.

F. Infusio ad solem, vel in loco calido per octiduum, agitando semper materiam semel, atque iterum. Denique vinum percolatum sumat quotidie ad unc. iiii. per multos dies, quatuor horis ante cibum, & ante opportunum exercitium.

Electuaria fient ex iisdem herbis, addito chalybe præparato, Ammoniac. & quadruplo mellis despumati.

Sunt qui baccis hederæ in pulverem redactis, & vel mixtis melli ad consistentiã electuarii, vel bibitis ex vino, aut jure Cicerum ad unc. i. per quadraginta dies, miram tribuunt efficaciam.

Exterius convenient fomenta ex decoctione herbarum emollientium, addita radice bryoniæ, & cyclaminis, foliis hederæ, tabaci, ebuli, & absynthii ad partis corroborationem; nec non portione vini albi, & aceti sub finem decoctionis, ad majorem penetrationem.

Uti-

Utilis est hujus decoctionis extincto molari, aut pyrite lapide fumus exceptus.

Præstantissimà quoque sunt fomenta ex filo cannabino cocto in lixivio forti, & calido, madidoque admoto parti. Insuper ex lutis thermalibus bituminosis, xv. aut xx. dierum spatio usurpatis.

A fomentis ungatur pars oleis ex tempore factis, coquendo simul, vel seorsum cyclamen, bryoniam, cappares: flores genistæ, tabacum; fol. hederæ, colocynt. ex oleo communi, cum vino albo, & aceto ad humiditatis consumptionem, addendo absynthium, vel amygd. amar. ad tuendum robur partis.

Post convenientem usum fotuum, & illitionum, applicetur parti ceratum, ut est vulgare ex Ammoniaco dissoluto ex aceto scyllitico, vel paretur similis facultatis aliquod ex dictis simplicium pulveribus, addito momento olei commemorati, ad sufficientem quantitatem resinæ pini, vel picis albæ, & ceræ novæ.

Laudatur quoque propolis melle,

ad-

adhuc turgida, per se contusa Emplastri formam, addito tantillo mastiches ad partis robur.

Horum loco conferet sacculus ex æquis portionibus radic. cucumer. sylvest. pulpæ Colocynth. & absynthii. super lienem gestatus,

Calefactum lienem refrigerant eadem, quæ pro hepate sunt proposita; sed addenda sunt quædam attenuantia temperata, ob succi, quo nutritur, crassitiem.

Hujusmodi sunt fragaria, capil. Ven. lupuli, asparagi, trichomanes, acetum, aqua fabrorum clarificata; quibus alterantur decocta, fomenta, epithemata, non negligendo in externis remediis aliquid absynth. ad partis robur servandum.

Alterantia renes; & vesicam.

RENibus, & *Vesicæ* eadem conveniunt, propter operis communionem, partiumque connexum.

Refrigeratis ergo prosunt omnia diuretica calida suo loco proponenda.

Item betonica, chamomælum, cy-

pe-

peri longi radix, addita decoctionibus, & electuariis.

Sed præstantiora censentur ad calefaciendas vias urinarias, tùm aq. sulphureæ pluribus diebus haustæ jejuno ventre, ad aliquot libras, imposito pulvisculo anisor. vel fæniculi, aut similis diuretici pro primo cyatho; tùm resina laricina, aut abjetina sæpius sumpta in bolo ad drach. ij. circiter; vel per se, vel cum pulvisculo alicujus diuretici calidioris.

Vinum quoque generosum, præsertim album, diureticis calidis alteratum, est huic operi accommodatissimum.

Externè probantur insessiones in aquis thermalibus sulphuratis.

Fomenta ex decoctione calidorum diureticorum in vino albo chalybeato.

Illitiones ex oleo laurino, vel simili ex tempore parato; cujus exemplum habes inter diuretica.

Laudantur cataplasmata ex cæpis, & alliis in vino albo coctis, & contusis, & admotis per se, vel conspersis pulvere Cymini, aut simili.

Infundendi crebro clysteres calefacien-

cientes ex oleo prædicto, & vino alterato Chamæmelo, foliis lauri, pulegii, serpilli, & similibus calefacientibus, quæ urinam movent.

Adde his omnibus validum motum equitationis, cursitationis, ambulationis, quibus lumborum regio incalescit.

Calidis verò renibus prosunt interiùs, decoctiones fructuum alkekengi, altheæ, acetos. hordei, lactuc. malv. nymph. portulac. graminis rad. Sonchi, cum emulsion. 4. sem. frigid. mai. aut cum succo limonum.

Præterea serum depuratum, addita emulsione sem. frigid.

Item lac ipsum chalybeatum, nisi renum obstructio impediat.

Potus thermarum acidularum, aut ferrearum, quales sunt Lucenses, Nuceranæ, Calderianæ, Patavinæ Divæ Virginis.

Esus denique fragorum, limonum, melonum, citrulli, cucurbitæ, hordei lactucæ.

Exteriùs juvat Balneum, & insessio aquæ dulcis, præsertim alteratæ violaria, parietaria, lactuca, malva; quarum

rum etiam decoctiones utiliter infunduntur clysteribus.

Loco balnei fiant Epithemata ex lacte tepido per se sæpius, vel cum decoctione malv. vel ex decoctionibus dictarum herbarum, addito succo limonum ad penetrationem.

Urgente calore, adduntur decoctioni fol. sempervivi, solani hortensis, & vesicarii, & tandem hyoscyami albi.

Efficacissimus censetur succus expressus ex rasura interni corticis cucurbitæ, per se, vel cum aliis admotus.

Extemporaneæ quoque illitiones parabuntur ex oleo decoctionis florum, vel fol. nymph. violar. purpur., rosar. pallid. ranarum viridium.

Urgente necessitate, quod evenit in exquisita diabete, sem. papaver. albi, & hyoscyami albi; ex quibus eliciuntur quoque olea per expressionem ad id efficacissima.

Superponantur lumborum, renumque regioni recentia folia nymph. tempore decubitus; gestentur verò interdiù; aut eorum loco tenuis lamina plumbea, vel ceratum simplicium ex-

ce-

cera flava sæpius lota, & subacta cum aq. rosʃ. aut dictis decoctionibus, oleisque: quod sæpius est removendum, ne vestium attritu incalescens lumborum calorem foveat.

Alterantia uterum.

UTero, cum sit locus generationis, quæ calore indiget, nulla frigida per se amica sunt; si tamen ob intensum calorem refrigeratione indiget, iisdem juvabitur, quæ pro jecore, renibusque sunt proposita; hoc solùm animadverso, quod externis remediis semper addendum sit aliquid eorum, quæ calorem ejus innatum corroborant, & peculiarem proprietatem fovent.

Refrigerato autem præcipuè conferunt inter vulgaria, artemisia, angelica, calamenth. cyperi longi radix, daucus, dictamnus albus, gattaria, Lauri folia, & baccæ, lavendula, matricaria, majorana, melissa, menta sativa, sylvestris, & græca, origanum, polium, pulegium, rosmar. ruta sativa, satur. serpil. spic. Celt.

spi-

ſpica Italica, tanacet. odoratum, thymus, & aromatica omnia: inter quæ præſtant Cinamomum, Crocus, galanga, myrrha, macis, & nux moſcata.

Horum pulveres dari poſſunt ad unc. i. ex vino aromatico, vel jure; vel fingi poſſunt electuaria, addito triplo mellis deſpumati.

Huic uſui inſerviunt communes ſpecies aromaticæ, quarum drach. i. exhiberi poterit cum Vino.

Verùm decoctiones, & vina medicata cæteris præferuntur, quod ob liquiditatem faciliùs perferri poſſunt ad uterum.

Optima decocta parantur ex jure columbi, cujus venter farctus ſit dictis ſimplicibus. Exempli gratia:

℞. *Herb. Calamenth.*
Puleg.
Meliſ.
Menth. an. M. i.
Summit. Roriſmarin.
Lavendul. an. p. i.
Bacc. Lauri.
Nucis Moſchat.
Galang. an. drach. i.

Her-

Herbæ incidantur, reliqua crasso modo terantur, & simul indantur ventri columbi; tum coquantur in s. q. aquæ lentissimo igne, ad perfectam carnis coctionem, fiatque fortis expressio, & colatura; cujus sumantur quotidie unc. vi. circiter per multos die.

Vina medicata fient, infusione jam dictarum materiarum; vel terna trajectione vini per pulveres earumdem oblongo sacculo impositos.

Parant mulierculæ vina per decoctionem, extemporanea quidem, sed minus efficacia, ob tenuiorum partium evaporationem.

Potus quoque thermarum sulphuratarum opportunè haustus uteri calorem mirum in modum corrigit, atque fovet.

Exteriùs prosunt insessiones aquar. thermar. sulphuratarum; aut balnea dictis herbis alterata, immissio in volvam perforato tubulo, ut vis medicamenti penetrare valeat ad uterum.

Iidem liquores, uti etiam vina medicata, utiliter infunduntur metrenchytis.

Fiunt

Fiunt suffitus aromatum, & herbarum odoratarum.

Indantur pessi; quales ex tempore parabuntur sic:

℞. *Pulv. baccar. lauri*:
Rutæ an. drach. i.
Myrrhæ drach. sem.
Succi matricariæ, vel puleg. vel vini aromatici unc. i.
Misc. & excipiantur lana pexa, vel gossipio, in formam pessi.
Vel ℞. *Mellis optimi* unc. i.
Succi Artemis. unc. sem.

Coquantur ad debitam consistentiam; tum adde
Pulv. galangæ; vel
Spec. Aromaticar. vulgar. drach. ii. *Misc.* in pessi formam.

Hypogastrio quoque applicanda sunt fomenta cum spongiis expressis aqua thermali, aut decoctione dictorum simplicium, potissimùm ex vino genoroso.

At lutis thermarum calidarum illi parti admotis per aliquot dies nullum fomentum præstantiùs.

Illinatur idem locus oleo spicato laurino, rutaceo aliisque per deco-

ctionem dictorum simplicium parati, verbi gratia.

℞. *Herb. Calamenthi.*
Major.
Matricar.
Menthæ.
Lavendul. an. M. i.
Bacc. Lauri.
Galangæ. an. drach. ii.

Tritis terendis, infunde per horas 6. in ol. communis lib. i. sem. vini aromat. lib. sem. deinde bulliant lento igne ad consumptionem medietatis.

Sunt qui oleo parato per decoctionem Santolinæ, quam Matthiolus abrotanum feminam facit, peculiarem tribuunt vim ad uteri corroborationem.

Atque hæc sunt magis vulgaria, & extemporanea alterantia, quibus totius corpori, & singularum partium intemperies corrigi possunt.

Re-

Remedia Morborum in mala Conformatione.

ORgani compositionem constituunt debita conformatio, conveniens magnitudo, partium similarium, quibus organum constat, decens numerus, & appositus situs, ad quem congrua connexio refertur. Ideò quatuor recensentur summa genera vitiatæ cumpositionis; nempe morbus in Conformatione, Magnitudine, Numero, & Situ.

Conformationi quadruplex accidit vitium, in Figura, Meatu insensibili aperto, vel adstricto, cavitate, seu meatu sensibili ampliato, vel coarctato; & superficie lævigata, vel exasperata.

Morbus in Figura non habet medicamenta sibi propria, sed vel curatur sola Chirurgia, vel Medicamentis respicientibus alios morbos, a quibus pendet. Qui fit ob vitiatam conformationem in utero, motus violentos in partu, imperitam deligationem obstetricum, ambulationem pedibus nondum firmis, dearticulationes, Chi-

rurgi errores in curandis fracturis, & luxationibus, indiget chirurgicis præsidiis, de quibus hìc non est sermo.

Pars verò denuò conformata corroboratur exteriùs fomentis, & ceratis, quæ ex adstringentibus maximè verò calidis paulò post describendis parantur.

Quòd si vitietur figura ob nimias repletiones, extremas inanitiones, vel ob unius partis in aliam inclinationem; ex paralysi, aut convulsione, uti accidit nervis, aut tendinibus fectis, dura cicatrice, tumore ingenti, curatur evacuantibus, nervos roborantibus, duritiem emollientibus, de quibus jam dictum; ad hæc reficientibus partem inanitam, & glutinantibus solutam unitatem, de quibus dicetur postea.

Raritas, seu apertio meatuum insensibilium, quos appellant porositates, quæ in effuso gaudio, & sudore diaphoretico sæpè est mortis causa, curatur refrigerantibus, adstringentibus, & emplasticis, seu infarcientibus poros.

Quæ exteriùs administrantur maxi-

ximè obvia, sunt aspersio aquæ frigidæ, eoque magis, si perfrigerata sit nive, aut glacie, aut prius alterata frigidis adstringentibus, de quibus infra.

Item illitiones corporis ex oleo actu frigido, & maximè omphacino seu immaturo, aut frigidis adstringentibus alterato, uti rosis, cydoniis, & aliis.

Aer quoque frigidissimus exoptatur, ut suo contactu poros contrahat.

Si hæc non sufficiant, incrustetur corpus gypso usto, excepto, & diluto aqua frigida.

Si raritas occupet partem determinatam; ut cum ob raritatem penis contineri nequeunt spiritus nervo fistuloso, ad stabilem membri erectionem, convenient adstringentia mox proponenda, applicata loco affecto, maximè verò calida, quippe quæ magis corroborant.

Densitati, seu adstrictioni eorum meatuum, si fiat ab aliqua materia impacta, convenient calida detergentia, & attenuantia, quæ proponentur ad

tollendas obstructiones ab infartu crassæ materiæ.

Si fiat ex refrigeratione, & siccatione, convenient moderatè calida, & absque siccitate attenuantia; quorum insignis est usus ad sudores necessarios, & ad corporis perspirationem, quae ad internas febrium putredines arcendas, & cutaneas foeditates tollendas procuratur.

Hujusmodi sunt balneum aq. tepidæ, fomentum ex hydrelæo; vel aqua tepida, præsertim alterata anetho, chamam. alth malv. vel portiuncula vini albi. Inunctio olei veteris, quod reddetur efficacius incocto vino albo, & anetho, camæmelo, & althæa malva, rad. lilior. albor. sem. lini, floribus jasmini vulgaris; & violæ luteæ, ad consumptionem humiditatis.

Fiat autem inunctio oleo calidiusculo, & præmissa frictione molli; aut fricetur mediocriter corpus vola manus imbuta dicto oleo, vel vino albo aromatico, addita medietate decoctionis violar. & malvar. ex aqua communi, si febris adsit insignis.

Sed

Sed & frictio ipsa per se mollibus linteis tepidis facta, tollit cutis densitatem, & multò efficaciùs cucurbitulæ, cum, vel sine scarificatione.

Ampliationi, seu mavis Laxitati, & dilatationi civitatum seu meatum sensibilium conveniunt adstringentia, quæ cutis etiam meatus tantò validius dēsant, quantò sunt minores cavitatibus.

Adstringentium verò materia latissimè patet. Potest triplex eorum constitui ordo, ut singulorum delectus ad usum sit facilis.

Quædam subadstringunt tantùm, quorum præcipuus est usus ad corroborandas partes, ad frænandas excretiones, quæ non omninò sunt inutiles, sed quantitate, aut diuturnitate enervare possunt vires.

Alia mediocriter adstringunt, quibus ad repellendas flussiones à partibus suscipientibus, fluxusque omnes noxios sistendos præcipua est vis.

Alia denique laxatas partes in profundum cogunt, usurpanda cum ex fluxionis impetu, vel evacuationis vehementia imminet periculum præceps, uti ferè accidit fluente materia

valdè tenui, & per vias diuturna fluxione valde laxatas.

Eligantur verò in causa frigida quæ adstringunt cum caliditate, vel sine manifesta frigiditate.

In causa verò calida juvabunt, quæ agunt refrigerando.

Ex universo autem adstrigentium genere hęc ad extemporaneam medicationem paratu erunt faciliora.

Pro causa frigida subadstringunt, absynthium quodcunque sed maximè Ponticum, agrimonia, betonica, brassica benè cocta, coriandri semen, cuminum torrefactum, cyperi longi radix, fabarum cortex, lentisci lignum, & folia, mentha sativa sicca, mastiche, oriza tosta, rosmarinus, salvia, scabiosa vulgaris, thus, resina laricina, vel abjetina ad duritiem cocta, vinum austerum, aut quodcunque aliud cha ybeatum.

Dantur interiùs aridorum pulveres per se ex vino austero, ad drach. j. circiter, & plus.

Fiunt etiam decocta, aut vina medicata, inter quæ excellunt vinum absynthites, lentiscinum, mastichinum,

ros-

rosmarinum, & salviatum.

Potus quoquè ordinarius utiliter alteratur sem. coriandri, & mastiches, & dictorum pulveres insperguntur cibis.

Ad Gonorrœham inveteratam sine ardore urinæ, valent dictæ resinæ coctæ in aqua pluviali, vel chalybeata, per multes dies sumptæ jejuno ventre, & in pilulas repactæ ad drach. i. cum scrup. j. menthæ siccæ, vel agni casti semine.

Eamdem sistit pulveris mastiches drach. j. ex ovo sorbili sumptas per aliquot dies, horis quatuor ante prandium.

Item pulvis ea ratione sumptus, si superbibatur modicum vini absynthitis, sistit fluxum hepaticum propriè dictum, & fluxus cœliacos antiquos, necnon vomitum ex imbecillitate ventriculi.

Exteriùs fieri possunt illitiones ex oleo communi immaturo, omphacium vocant, vel ex maturo alterato absynthio, menta sicca, rosemarino, lentisco, mastiche.

Vel linimenta extemporanea qualè est sequens.

℞. *Pulv. Mastich.* drach. j.
Ol. Communis unc. j.
Ceræ flavæ q.s. M.F. linimentum.
Fiant sacculi ex cumino torrefacto, & oryza tosta.
Vel fomenta humida ex vino rubro austero dictis herbis alterato.
Aut Cataplasma ex corticibus fabar. oryza tosta, pulvere absynth. oleo, & vino austero.
Ex mastiche, & thure fiunt Cerata, addito oleo absynthii, resinæ pini, & ceræ flavæ sufficienti quantitate.
Ad diuturnas oculi lachrymationes valet frequens ablutio oculi vino albo minimè generoso, quod accenso thure ter restinctum sit, addendo tertiam partem aquæ fluviatilis, si lachryma sit mordax.
Mediocriter adstringunt: Avenæ farina tosta pro ferculis, castanea, caryophyllata, jacea nigra, juglandum cortex viridis, lens benè cocta, & ejus succus, osmundæ radix.
Excellit etiam vuę nigræ seminaturæ, in furno siccatæ pulvis: cujus drac. j. multis diebus bibita ex vino subaustero, tanquam summum secretum
pro-

proponitur à Septalio ad curandum fluxum hepaticum. Curat quoquè profluvium muliebre, sumptum ex vino arom. medicato roremarino, salvia, aut mentha.

Ad faucium affectus calidos singulariter prodest decoctio, aut succus corticis viridis juglandum pro gargarismis; in quem usum fit syrupus ex melle, & succo depurato.

Lentis benè coctæ succus, cum momento pulveris galangæ, vel nucis moscatæ, sumptus mane 4. horis ante cibum, curat vomitum, & diarrhœam ex ventriculi imbecillitate.

Caryophyllata, & osmundæ radix decocta ex vino rubro, aut in pulverem trita, peculiariter valet ad intestinorum, & uteri prolapsum.

Exteriùs convenit farina volatilis, addita emplastris, ad mictiones cruentas.

Lumbrici terrestres in Emplastris ad vulneratos nervos.

Sal, & Alumen rupeum, addita decoctionibus ex vino rubro factis, ad partium corroborationem.

Balnea thermarum aluminosarum;

& gypſearum, quales ſunt in monte ægrotorum agri Patavini, ad corroborandos artus antiqua fluxione tentatos.

Vinacea calentia ad firmandos articulos celebrantur.

Mica panis toſti, aſperſi vino generoſo, & pulvere abſynthii, vel menthæ, pro fomento ſtomachi languidioris.

Valenter adſtrigunt Alchimilla, filipendula hortenſis, præcipuè radix, Geranium omne, maximè per columbinus, herba Roberti, piloſella.

Datur eorum decoctio, vel pulvis ad drach. j.

Eſt quoquè efficaciſſimus pulvis ſpongiæ uſtæ, & interioris pelliculæ caſtaneæ.

Ex herbarum ſuccis, & radicum pulveribus farinæ mixtis pinſitur panis ad biſcocti duritiem, qui in pulverem tritus utiliter miſcetur cibariis abſque nauſea.

Exteriùs parantur fomenta ex herbarum decoctionibus, cum vino auſtero, addito alumine.

Succus ex ſemimaturo fructu Guajaci Patavina expreſſus linteo, vel ſpõgia

gia exceptus, desperatas hæmorrhoidum fluxione sistit; ideo cum alumine inspissari potest, & ad usum reservari.

Stercus etiam caprillum cum aceto tritum, & admotum, sistit omnem fluorem sanguinis.

Urticæ vulgaris folia trita, ut succum emittant, & turundæ instar naribus indita, hæmorrhagiam, quantumvis ferocem, illicò sistunt.

In causa verò calida subadstringunt aq. pluvialis, aq. chalybeata, aqua thermalis ferrata, qualis est Patavina montis Ortonis, acetum, posca, cichorei radix, cupressi folia, fragaria sicca, hordeum torrefactum; unde fit ptisana cum aqua chalybeata; lac chalybeatum, muscus arboreus, myrthus, portulaca, personata, persicaria maculosa, pyrus domestica, pruna acida, pruni folia, potamogetum, rosæ, maximè rubræ flos, semen, lanugo, calix, & radix, salicis flos, & folia, sempervivum, verbascum, vitis folia, & capreoli, umbilici veneris:

Ex his parabuntur potissimùm decoctiones; inter quas excellit ad diutur-

turnas fluxiones decoctio radicum rosar. ex aliqua dictarum aquarum.

Sistit quoquè certa experientia unius, aut alterius diei spatio omnem fluxum ventris calidum, excrementosum, & sanguineum hic potus.

℞. *Succi sempervivi majoris*,
Persicariæ maculatæ an. unc. iii.

Coquantur ad consumptionem tertiæ partis, & detur in potu.

Exteriùs parabuntur fomenta, balnea, Emplastra, Epithemata, aliæve medicamentorum formæ pro usus exigentia.

Mediocriter adstringunt acetositas mali arantii, citri, & limonis immaturi, arbuti fol. balaustium, berberis, bursa pastoris, castaneæ medius cortex, cistus, cornus; ejusque fructus, cupressi coni immaturi, seu virides, flos solis, glandes, & earum caliculi, herba trinitatis, hypocistis, labruscæ flos, lysimachiæ purpureæ flos, limonium quodcunque, lapis hæmatites vulgaris, malum Punicum acidum, malum Cydonium, malicorium, millefolium, oleæ folia, ophioglossum, palantago, pyrus silvestris, fructus

ri-

ribes, rubi fol. & mora immatura, ferratula, sideritis, achillea, terra quæque medicata, ulmus, virga aurea. Atque hæc omnia ferè ubivis locorum sunt obvia.

Dantur aridorum pulveres ad drac. j. in bolo, vel potu, cum liquore convenienti.

Ex herbis fiunt decoctiones; sed efficaciores sunt fucci, quorum dosis est ab unc. i. ad ii.

Habentur pro secretis ad cohibendum omnem fluxum sanguinis flos Lysimachiæ purpureæ, ad drach. j. aliquot vicibus datus, cum vino rubro austero.

Item hic syrupus ℞. *Aq. polygoni*, vel *millefolii* unc. v. ducatur in hoc liquore lapis Hæmatites, donec cruentum colorem contrahat; deinde adde syrupi cydoniorum, vel granatorum acidorum unc. i. Misc. pro potu. Loco syrupi addatur tantillum sacchari, & ad penetrationem succi limonum, vel pyri austeri, aut alterius, qui gustu sit suavis.

Ad cohibendos ventris fluxus, & vomitus, excavetur malum co toneum, aut

aut sativum quodcunque acidum; præstant autem poma ferruginei coloris; repletum cera alba, coquatur sub cineribus charta in volutum, deturque unum, aut alterum illius frustulum, consperfum pulveribus mororum immaturorum paulò ante cibi sumptionem.

Ad mictionem cruentam.

℞. *Decocti virgæ aureæ ex aq fluviat.* vel *chalyb.* unc. iiii.
Aq. album. ovor. unc. ii.
Succi limon. unc. i.
Misc. pro potu.

Pro externis fiant olea extemporanea per decoctionem citoniorum, conorum cupressi, pini, aliarumque herbarum, addita posca. Coquantur usque ad humiditatis consumptionem; quorum usus erit in illitionibus, vel unguentis, ad quæ utiliter recipitur lithargyrium in aceto coctum.

Epithemata fient ex posca, cum albumine ovorum.

Defensiva vulnerum fiunt ex bolo armeno, vel quacunque terra medicata, & lapide hæmatite vulgari, ex-

ce-

ceptis, & agitatis cum albumine ovorum ad linimenti consistentiam.

Cotis sedimentum per se præbet Emplastri materiam ad reprimendum quemcunque fluxum.

A Rulando passim extollitur ad cohibendum sanguinem cum impetu ex quocunque loco erumpentem, emplastrum ex argilla usta, & cum aceto cocta, celidè admotum parti.

Ventriculo utile est emplastrum ex cotoneo cocto in vino subaustero rubro, solo, vel addita panis mica emollita aceto.

Valenter adstringunt inter vulgarissima acini uvarum, acini mali Punici exsiccati, amaranthi purpurei flos, avellanar. sylvestrium interior pellicula, cerri folia, & radix, consolida major, consolida media, seu regalis, equisetum, galla, præsertim immatura, herniaria, iridis luteæ syvestris radix, lapis hæmatites verus, lagopus vulgaris, mala sylvestria, mespila immatura, mori radicis cortex, nummularia, omphacium, prunorum sylvestrium succus, polygonum, quercus folia, & radix, liber, qui

est

est inter lignum, & corticem, sorba immatura, sumach, sanicula mas, urtica mortua, virga sanguinea Matthioli; seu cornus semina.

Ex his aliqua peculiariter commendantur ad quosdam fluxus, licet omnia, quibuscunque usibus aptari possint, ubi valida opus est adstrictione.

Ad profluvium mensium pro expertis habentur mori radicis cortex, urticæ mortuæ radix, & acini uvarum, nec non granatorum; quorum pulveres sigillatim exhibentur ad dr. i. cum vino rubro, aut liquore analogo.

Ad sputum cruentum, lapis hæmatites sumptus cum saccharo rosar. ad drach. i. vel ductus in potionibus adstringentibus, donec cruentum colorem contrahant; vel sacculo inditus, & in pulverem subtilissimum tritus, per quem vinum, aut quicquid aliud pro ordinario potu paratur, sæpius percoletur.

Ad vomitus, & quoscunque alvi fluxus immoderatos, & inveteratos potissima sunt hæc duo electuaria. Primum.

℞. *Rad Irid. luteæ sylvest, cocta in aq. pluvial. & per setac. transmis.* part. ii.
Sacchar. Ros. Antiq. p. i.

F. Electuarium S. A. Cuius dosis est ab unc. sem. ad unc. i. Loco sacchari ros. sumatur pro pauperculis dimidium mellis prius despumati, & cocti in aqua pluviali, aut chalybeata, in qua folia tenerrima quercus aliquamdiu bullierint.

Alterum

℞. *Rad. consol. mai. coctæ in decoct. radic. filipendul. hortens. & per setac. transmissæ* p. ii.
Sacchar. ros. antiq. p. i. *vel.* p. æq.

Misc. F. Electuarium, cujus eadem est dosis, ac prioris electuarii.

Si paretur ad hepaticos fluxus, sistunt autem illos feliciter, addenda est quarta pars conservæ absynthii, aut duodecima pars absynthii, vel mastiches.

Ad eosdem affectus præstantissimum est decoctum rad. & folior. tenerrimorum quercus, paratum ex vino rubro, addito tantillo absynthii, si quotidie bibatur ad unc. vi. circiter

quin-

quinque horis ante cibum.

Alia ad alios usus componi possunt, pro cujuscunque arbitrio.

Exteriùs conveniunt gypsum crudum, ceratis, & emplastris additum.

Item stercus suillum, & asininum, vel recens, vel in pulverem tritum. Utroque autem hæmorragia immoderata citò cohibetur, si admoveatur cùm albumine ovi, & insuffletur.

Guainerius audet asininum stercus internè usurpare, & syrupum ex saccharo, & recentis stercoris expressi succo præparatum, tanquam summum ad cohibendos immoderatos menses, aliasque superfluas sanguinis excretiones proponit.

Oleum de cerro, & rad. querc. elicitum per descensum, omnibus aliis adstringendi facultate facilè præcellit.

Cæterùm ex herbarum decoctionibus fient fomenta, & balnea.

Ex fructibus immaturis, cum posca tusis, & mediocriter coctis, fient cataplasmata.

Extemporaneum erit etiam simile unguentum, cujus usus vicem supplebit unguenti de castaneis, & Comitissæ. R.

℞. *Gallæ immaturæ.*
Nuc. cupressi.
Acinor. uvarum rubear.
Malicorii.
Cortic. medior. castanear.
Mastiches an. unc. sem.
Ol. immatur. vel ros. sæpius loti in aq. aluminosa lib. i.
Ceræ albæ. unc. iii.

Arida in subtilem pulverem trita mergantur in succum prunorum sylvestrium; vel sorbi immaturi, Omphacium, aut succum herbarum adstringentium, & lento igne siccentur; addendo priusquam induruerint, oleum & ceram diligenter agitando, & commiscendo.

Si mavis cerati formam; sume resinæ unc. iii. & ceræ unc. v. ad dictam olei, & pulverum quantitatem.

Augustia, & coarctatio cavitatum quinque modis accidit; obstructione, constipatione, compressione, coalitu, & subsidentia; undè morbi in angustia differentiæ sumuntur, quæ quidem uti generatione, & causarum varietate discrepant, ita diversis remediis tolluntur.

Ob.

Obstructio propriè dicitur, illa cavitatis angustia, quæ fit à rebus intùs præter naturam contentis, non adnatis, atque adhærentibus cavitati, cujusmodi sunt humores, & vapores nimis copiosi, crassi, lenti, ad hæc pus, grumi sanguinis, & lactis, spinæ, & ossicula gulæ transitum impedientia, pili, calculi, vermes, fœces intestinis adherentes.

Pus abscessibus inclusum tollitur apertione abscessus, quæ fit ferro, vel igne actuali, aut potentiali, idest caustico, de quo paulo infrà.

Quod adhærescit ulceribus tollitur sarcoticis, de quibus inter remedia ulcerum.

Quod effusum est in alias civitates, uti asperam arteriam, incidentibus, quæ mox proponentur.

Grumi sanguinis prius dissolvendi sunt remediis aliàs propositis; tum evacuandi per alvum, urinam, sputum, pro partis affectæ situ, dejectoriis, diureticis, expectorantibus ab initio enarratis.

Lactis quoque grumum solventia, & discutientia patent ex dictis.

Cor-

Corpora inhærentia gulæ, ſi ſenſui pateant, extrahuntur ferramentis: ſi minus dimoventur loco, ſternutatione, vociferatione, vomitu provocato per immiſſum digitum, aut pennam in œſophagum; item copioſo potu: deglutitione boli ſolidioris non benè maſticati: & tandem deglutita ſpongiola prius imbuta reſina, ut corpora eidem adhæreſcant, poſtea retracta beneficio longioris fili alligati.

Pili, *aliaque corpora exteriùs advenientia*, ſi appareant, tolluntur chirurgicis inſtrumentis: ſi lateant in ventriculo, aut inteſtinis, pelluntur dejectione, aut vomitu, pro ægri inclinatione.

De laxantibus alvum, atque feces vacuantibus; præterea de vermium, & calculorum remediis, vaporeſque copioſus, & craſſos diſcutientibus, dictum eſt inter remedia morbi cauſam auferentia.

Obſtructio à plenitudine ſive copia ſanguinis, tollitur victu tenui, non optimi, plurimivè ſucci, validis exercitiis, multiſque frictionibus, medicamentis exſiccantibus totum corpus,

&

& ſenſibilibus evacuationibus per venas ſectas, cucurbitulas ſcarificatas, & hirudines.

At Pravi humores, copioſi, craſſi, & glutinoſi, à quibus frequentiſſimè obſtruunter meſenterium, jecur, lien, uterus, renes, aliquarumque partium venæ, & arteriæ, poſtulant medicamenta, primò quidem incidentia, attenuantia, & detergentia, deinde verò evacuantia,

De evacuantibus dictum eſt abundè ab initio. Alterius generis ea ſunt, quæ pro craſſorum humorum præparatione dicta ſunt: quia tamen hæc exobſtruentia latiùs patent, quam præparantia humores, & eorum frequentiſſimus eſt uſus in curandis febribus putridis, melancholia hypocondriaca, lienoſis, ictericis menſtruorum defectibus, operæ pretium eſt paulò diſtinctius illa recenſere, atque in tres partiri claſſes; frigida nempe, temperata, & calida, ut in uſu delectus ſit facilis.

Frigida exobruentia conveniunt febribus acutioribus, partibus calidis obſtructis ab humoribus aduſtione incraſ-

crassatis: in quibus magis obvia sunt acetosa, aciditas citri,& limonis benè maturi, cichor. endiu. fragar. gramin. radix, hepatica, hieracium, lapathi cujuscunque radix, melonis, & peponis sem. uti & citrulli, cucumeris, atque cucurbitæ, sonchus, scariola, Taraxacum, trifolium acetosum.

Ex his fiunt decoctiones ex aqua, aut jure pro syrupis; qui præstantiores evadunt addita emulsi. sem. frig. mai.

Serum lactis depuratum per se est efficax, sed fit efficassimum, addita eorumdem sem; emulsione; vel si herbis aperientibus alteretur.

Pro ordinario potu satis grata est decoctio trifolii acetosi, acetosæ, fragariæ, & graminis; quæ reddi potest acidior, addita portione aciditatis citri, aut limonis.

Verùm seminibus acetos. inest hoc maximè necessarium ad fallendos ægros, vinum importunè exigentes, quod aquam acidulam reddunt. & rubelli vini colore afficiunt.

Temperatiora, in quibus non observatur effatu dignus excessus calidi, & frigidi, conveniunt maximè febribus

K diu-

diuturnis, ex humorum aduſtione, quæ deferbuerit: Item melancholicis affectibus, uti hypochondriacis, & ſcyrrhoſis. Talia ſunt inter ſimplicia, Capillus ven. aq. thermales acidulæ, lupulus, liquiritia, Trichomanes, quinque folium: quæ omnia adduntur prædictorum frigidorum decoctionibus.

Compoſita multò plura fingi poſſunt, pro cujuſcunque arbitrio; nam frigida cum æqualiter calidis pari pondere mixta faciunt temperata.

In hunc finem ſerum depuratum alteratur aliquandò agrimon. radic. aſari, cuſcuta, cum momenio abſynthii; quo nihil utilius in affectibus, & morbis melancholicis.

Eodem modo dari ſolet ſuccus cichorij condenſatus cum ſucco agrimoniæ, & tantillo chalybis præparati, in bolo, ſumendo ante aliquam decoctionem aperitivam.

Mel quoquè, & ſaccharum addita ſuccis, & decoctionibus exobſtruentium frigidorum faciunt temperata.

Huic uſui maximè ſerviunt vulgares, & paratu facillimi duo ſyrupi, oxy-

oxymel nimirum simplex, & syrupus acetosus simplex, qui constant ex una parte aceti, & duabus melli, aut sacchari, & quatuor, vel trib. aquæ.

Verum remediis hujus classis præcellunt tria sequenti paratu facillima.

Primum Aq. fabrorum clarificata, pro potu ordinario; cum qua fieri potest mulsa dilutior, addita secunda parte mellis, aut sacchari.

Secundo cremor Tartari, a scrup. i. ad drach. j. additus jusculis aperientibus.

Tertium; chalybs præparatus, sine quo scirrhi, & obstinatæ obstructiones vix cedunt.

Multiplex est ejus usus, & præparatio omnium facillima, maximèque extemporanea; imò & optima est ista.

Extendatur chalybs in tenues longosque bacillos, aut laminulas; nam admoto sulphuris cono funduntur, & supposita aqua excipiuntur, & in subtilissimum pollinem teruntur. Datur hic pulvis à scrup. sem. ad scrup. ij. circiter, vel in bolo, vel in electuario, vel in vino.

Forma boli est ejusmodi:

℞. *Succi agrimon.*
Borrag. condensat. an. drach. j.
Chalyb. præparat. scrup. j.

Misc. F. boli, num. ij. sumendi paulò ante decoctionem exobstruentem.

Electuarium erit tale:

℞. *Pulv. Agrimon.*
Capil. Ven.
Ceterach. vel
Lingu. cervin.
Rad. Quinquefol.
Liquirit.
Calyb. præparat.
Fol. Senæ. an. unc. j.
Cinamom: drach. j. sem.
Pulpæ passular. in vino albo coctar & per setāc. transmiss. lib. i.
Syr. de pomis simpl. vel, pro pauperculis, *oxym. simpl.* lib. ij.

Misc. F. Elect. s. a. sumendum ad drach. j. circiter, quatuor horis ante prandium. Cum vino dupliciter porrigitur, vel bibendo pulviscum chalybis mixtum vino, vel parando vinum chalybeatum.

Optimus erit hic pulvisculus pro una dosi.

℞. *Chalybis præparati.*

Cre.

Cremor. tart. an. ſcrup. j.
Cinamom. ſcrup. ſem. Miſc.
F. pulvis.

Vinum chalybeatum fiet, ſi in lib. iii. vini albi odorati ponantur chalybis præparati, *fol. ſenæ.* an. unc. j. *Cinam.* drach. ij. *Herbar. aperientium*, & appropriatarum parti obſtructæ M. iii. Stent in loco calido per octiduum, & frequenter agitentur: deinde percolentur ad uſum, & porrigantur unc. ii. aut iii.

Poteſt quoque præſtantiſſimus ſyrupus chalybeatus parari in hunc modum.

℞. *Chalybis præparati*, *q. placet*; affunde *acetum* acerrimum ad eminentiam quat. digitor. tranſverſorum, & ſinatur in loco calido, donec chalybis tincturam extraxerit; tum inclinato vaſe ſeparetur à ſedimento. Huic adde *ſacchari*, vel *mellis* optimè deſpumati duplum; præterea *paſſularum* unc. ſem. & *abſynthii comar.* P. i. ad ſingulas libras aceti. Coquantur lento igne ad ſyrupi conſiſtentiam, fiatq; colatura, cuius doſis erit unc. i. cum decoctione appropriata parti affectæ.

Quæ exterius admoventur, mixta sunt ex emollientibus, & digerentibus; qualia sunt fomenta ex decoctione malvar. altheæ, meliloti, fœnu-græc. aneth. chamomel. & portione absynthii, ad partis corroborationem; addendo sub decoctionis finem aliquid vini albi, & aceti ad penetrationem.

A fomento fiat inunctio oleo ex jam dictis, parato per decoctionem, quale describitur inter emollientia humorum duritiem.

Calidora ex obstruentia conveniunt habitui, & tempori frigidiori; nec non febribus diuturnis; qualia sunt hæc vulgatissima simplicia; Absynth. agrim. apium, arthemis. asparag. betonica, capparis, maximè radicis cortex, ceterach., chamædris, cuscuta, daucus vulgaris, enule campanæ radix, filicis radix, fęniculum, fraxini cortex, fumar. communis, & lutea, gentianæ rad. hedysarum. hyssopus, irio, ivæ artherica, lingua cervina, marrubium album, vel mentastrum, petroselinum, puleg. rubia tinctor. ruscus, tamariscus, satureja: in quorum

rum usu eligenda semper ea, quæ appropriata sunt partibus affectis, & inter alterantia determinata proponuntur.

Fiunt autem ex jam dictis, syrupi, electuaria, & decocta pro rei exigentia, &c.

Redduntur efficaciora decocta in jure Galli senioris, aut columbi, si fieri possit.

Vina quoquè medicata, uti absynthites, optima censentur, cum viscerum imbecillitas antiqua sit; atque ex vinis, addita dimidia quantitate mellis despumati, fiunt syrupi utiles, & grati; sed efficacissima redduntur vina, addito chalybe, modo paulò antè dicto.

Mulsa paulò plenior, alterata herbis propositis, præstantissima erit pro potu; uti oxymel quodcunque compositum ex iisdem pro syrupo; quale est vulgare officinarum, ex quinque radicibus aperitivis, apii, asparagi fæniculi, petroselini, rusci.

Extollitur quoquè usus aceti scyllitici, ad semicochleare additi syrupis, ac decoctionibus.

Sunt qui radicem ari ſæpius infuſam vino, & viciſſim exſiccatam, donec acrimoniam penè omnem exuat, ad inveteratas obſtructiones omnibus præferant. Addi poteſt electuariis: ſed frequentiùs uſurpatur pulviſculus inde factus, cum vino, aut jure exhibitus; cujus forma hujuſmodi eſſe poteſt.

℞. *Chalybis præparati*.
Rad. Ari præparatæ an. unc.ſem.
Cinamom. drach. j. ſem.
Sem. fœniculi drach.ſem.
Sacchari fini unc.i. Miſc.

Redditur efficacior, addita ſalis abſynthii drach. j. F. pulvis ſubtiliſſimus, cujus doſis ſit drach. i. circiter.

Vel ℞. *Rad. Ari præparatæ* unc. i.
Summit. Abſynthii comm.
abſynth. longè præſtantiùs eſt ſal. drach. j.
Cinamom. drach. i. ſem.
Sacchari fini ad pondus omnium.
Miſc. F. pulvis.

Per ſe valdè exobſtruunt aquæ Thermales ſulphureæ, ac nitroſæ, poſt totius corporis purgationem potæ; uti etiam Terebinthina vulgaris exhibita

in

in bolo ad drach. i. sem. circiter, quæ etiam bibi potest, si cum tantillo lutei ovi agitetur, sensimque addatur aqua agrimoniæ, vel vinum, usque ad unc. ii. vel iii. continuè agitando, usque ad perfectam albedinem.

Exterius admoveantur fomenta ex decoctione digerentium, & emollientium, addito sub finem decoctionis vino albo, & aceto; neque neglectis herbis appropriatis parti affectæ; ex quibus fient quoquè olea per decoctionem pro inunctione.

Præstantissimæ sunt irrigationes, aut stillicidia aquarum sulphurearum, & bituminosarum, atque earumdem luta debita ratione admota.

Constipatio civitatis propriè dicitur, angustia, orta à rebus intùs adnatis, & adhærescentibus parti, puta tumoribus, carne, callo, fœtu mortuo.

Pellentia fœtum mortuum sunt proposita inter remedia causæ peccantis substantia.

De tumoribus dicetur inter morbos auctæ magnitudinis.

Caro, & callus, quemadmodum ferro, & igne non difficulter tolluntur,

 quan-

quando sub aspectum cadunt, ita solis medicamentis, & quidem difficiliùs auferuntur, quando in profundo latitant, cumque mollior sit caro, quam callus, requirit mitiora medicamenta, quæ vel strenuè siccent, vel levissimè exedant. Callus autem erodentia, seu septica postulat.

Carni ergò convenient. Aristol. rot. rad. alumen ustum, antimonium calcinatum, ellebor. nigri rad. alumen ustum, gallæ ustæ, mellis usti, cinis, minium vulgare, Gentianæ rad. cinis, ostreorum, testæ, maximè crematæ, plumbum cùm sulphure ustum, spongiæ ustæ cinis. Horum omnium pulveres miscentur unguentis, vel liquoribus, qui infunduntur.

Expertum est sequens unguentum ad carneas excrescentias, in primis verò carunculas in meatu urinario absque dolore aufert, si candelæ extremitati apponatur; valdè enim adhærescit, & partes sanas non excoriat.

℞. *Mellis in cinerem usti.*
Tutiæ præparatæ.
Butyr. recent. loti.
Terebentinæ lotæ.

Ce-

Ceræ flavæ. an. unc. ſem.
Alumin. uſti. drach. ſem.
Miſc. F. Unguentum S. A.

Præſtantiſſimus eſt etiam hic pulvis a Mercato deſcriptus *libro*. 2. *de recto præſidior. uſu. cap*. 7.

℞. *Æruginis*.
Auripigmenti.
Vitriol.
Alumin. rupei. an. p. æq.

Cum aceto acerrimo terantur, & lævigentur in pollinem; exponantur ſoli caniculari. Siccatus pulvis rurſum aceto affuſo lævigandus, ac viciſſim ſoli exponendus, idque faciendum 10. dierum ſpatio; tum

℞. *Litharg. auri triti*, & *cribrati* partem unam.
Ol. Roſat. partes ii.

Coq. ad conſiſtentiam Emplaſtri; cujus accipitur æquale pondus cum prædicto pulvere, & miſcetur ad uſum.

Tollit quoquè omnem excreſcentiam, certiſſimo experimento hic alius pulvis.

℞. *Cortic. nucum juglandium*.
Spongiæ.
Rad. ariſtol. rotund. an. p. æq.

Exsiccentor simul in olla in furno posita, ut in pulverem teri possint; hocque pulvere inspergatur locus affectus, melle priùs perunctus.

Callos extirpant inter maximè vulgaria, auripgmentum, ærugo æris, calx viva, fex vini usta, fex aceti usta, vitriolum ustum, ol. sulphuris, & vitrioli. Hæc omnia in usu temperantur mitioribus, modo majori, modo minori quantitate, pro usus exigentia.

Exempli gratia pro infusione:

℞. *Decoct. Aristoloch. rot.*
Gentian.
Ellebor. nig.
Rad. althϾ. lib. sem.
Ol. Sulphuris, *aut.*
Vitrioli. scrup. sem. Misc. pro infusione.

Pro Inunctione.

℞. *Vitrioli usti.*
Alumin. usti an. drach. j.
Butyr. rec. opt. loti unc. sem.
Misc.

Si pulverem sem. papaveris albi addideris, vel hyoscyami, medicamentum planè indolens reddideris.

Pul-

Pulvis Mercati per se usurpatus est efficacissimus.

Optimus est iste, & paratu facilior. Subigatur calx viva, cum melle, in formam pastæ, sicceturque in furno, ut in pulverem teri possit, inspergendum calositati, aut superfluæ carni melle primò illitæ.

Compressio cavitatis cum fiat ab omni re incumbente cavitati, & comprimente, interventu, vel gravitatis, vel tensionis, vel impulsionis violentiæ, vel adstrictionis, non habet peculiaria remedia; nam gravitas, & tensio à copia materiæ, tollitur vacuantibus sensibiliter, & insensibiliter, de quibus ab initio dictum est.

Tensio a flatu tollitur discutientibus.

Impulsio violenta ferè sequitur luxationes, depressiones, & fracturas ossium, quæ chirurgia curantur.

Adstrictio violenta sequitur causas, potissimùm externas, uti fascias arctius deligatas, quarum prompta est remotio.

Coalitus cavitatis fit mutua agglutinatione laterum, quando natura ipso-

ipſorum vulnera implet ex boni ſanguinis affluxu; unde curatur tantùm ferro incidente, & ſeparante latera conglutinata; ſed poſt ſeparationem munienda ſunt probè latera, ne vel ſe contingant, vel denuò coaleſcere poſſint; idcirco incurabilis eſt coalitus internarum civitatum, quæ incidi non poſſunt.

Subſidentia cavitatis, ſiquidem fiat evacuata materia, quæ intus contineri deberet, reſtituitur ſolis alimentis regenerantibus materiam neceſſariam. Si fiat parietibus cavitatis ob nimiam ariditatem contractis; aut ob inſignem relaxationem concidentibus, curatur humectantibus, aut inſigniter exſiccantibus. Ad humectationem ſini ſumuntur emollientia mitiora, & anodyna propriè dicta, ſuis locis propoſita: ad exſiccationem conferent digerentia, & diſcutientia mixta adſtringentibus valentioribus jam enumeratis.

Superficiæs læviguta tollitur primò detergentibus, deindè exſiccantibus.

Ad detergendum conveniunt omnia propoſita pro pituitæ præparatione; &

pro

pro tollenda obstructione ab humorum crassorum, & viscidorum infarctu, & pro detergenda cute. Habent quamdam prærogativam aquæ salitæ naturales, vel artificiales, & mel decoctionibus additum; quæ potissimùm ex amaris parantur, uti gentian. radic. helenii, aristol. long. centaur. min.

Pro exsiccatione conveniunt evacuantia insensibiliter mixta validis adstringentibus; de quibus antea.

Superficies exasperata curatur emollientibus, & anodynis propriè dictis, quando fit à siccitate; privatim verò asperitas faucium, & laryngis, quæ frèquentissima est, curatur iis, quæ ad vacuationem pectoris per sputum in materia salsa sunt proposita.

Quod si fiat à materia acri, & mordaci superficem leviter abradente, tollitur demulcentibus acromoniam, tum abluendo, tum oblinendo vi Epicerastica, de quibus inter remedia alterantia causam morbificam dictum est.

Remedia Morborum in vitiata magnitudine.

MAgnitudo naturalis excessu, vel defectu fit vitiosa, cum supra modum augetur, vel diminuitur. Diminutæ magnitudinis species recensentur atrophia, seu macies singularum partium; & Marasmus, seu consumptio totius corporis consequens febrem hecticam, aut Tabem, nam macies convalescentium post morbos acutos vix morbi nomen meretur, cum citò recedat morbo, à quo pendebat, jam superato.

Magnitudinis auctæ, quam tumorem appellant, differentiæ omnes à causa sumuntur, quæ genere quadruplex statui potest.

Prima est solidum corpus secundùm substantiam, pertinens ad integritatem corporis, unde fit obesitas à nimia pinguedine, hyposarcosis à carnis excrescentia, hernia intestinalis, & omentalis à descensu intestini, & omenti, qui morbum etiam in situ parit.

Se-

Secunda est humor, aut quid affine humori, unde fiunt phlegmon à sanguine, œdema à pituita, erysipelas à bile, scirrhus à melancholia, cujus quædam species est tophus, & struma, cancer ab atrabile, carbunculus à sanguine a lusto, & ab aquositate humoribus affini hydrocephalus, hydrops abdominis, & uteri.

Tertia est, quid præter naturam ex humoribus natum, unde inflatio à flatu.

Quarta est quid toto genere præter naturam ortum ex varia, & indicibili humorum corruptione, unde fit propriè abscessus, seu tuberculum cum folliculo, nempè meliiceris à materia melli persimili, steatoma à materia pingui, sævo simili, & atheroma à materia quasi pulmentacea.

Atrophia particularis, quali paralytica, & convulsa membra detineri solent, requirit primò expurgantia corporis in puritatem per vias convenientes: tum alimenta probum sanguinem generantia, denique attrahentia sanguinem ad partem, illiusque ca-

calorem excitantia, & roborantia.

Hæc omnia præſtant frictiones mediocres, uſque ad ruborem partis, & levem intumeſcentiam.

Item balnea aquæ dulcis ſubcalidæ, cui herbæ parti appropriatæ incoquantur, adminiſtrandæ uſque ad levem partis tumorem.

Aut fomenta, vel irrigationes ex hydræleo, lacte, aq. dulci alterata fol. malv. alth. & herbis parti appropriatis.

Tandem valentiſſima erit fricatio uſque ad ruborem, & tumorem partis: Sunt autem hæc agenda peracta concoctione, ante novam cibi ſumptionem.

In Oculi tabe nullus eſt locus picationibus, & frictionibus, ſed fomentis tantùm, quæ parantur optima ex lacte cum momento Croci, vel ex eodem cocto cum malva, violis, althæa, & fœniculo, aut cum pomo dulci redacto ad formam cataplaſmatis mollioris cum tantillo croci.

Maraſmus calidus ſine tabe, qui ſanabilis, eſt, pellitur præcipuè uſu lactis, & balnei: bibitur lachumanum

ex

ex uberibus, vel caprillum recens mulctum cum tantillo sacchari, aut mellis sensim ascendendo ab unc. iii. ad vij. aut viij.; quinque horis circiter à sumpto lacte administratur Balneum aquæ dulcis, quæ sub calida tenetur usque ad tempus egressionis, quo leviter refrigerati finitur ad caloris unionem, & alimenti retentionem: vel statim à balneo molliter fricetur corpus vola manus imbuta oleo violaceo, & amygd. dulc. subfrigido. Si adsit tabes, dimittendum balneum, & tantùm fricandum corpus ante cibi sumptionem, modo jam dicto, lactique indulgendum, nec non prospiciendum est respicientibus pulmonum ulcus; Si lactis usus prohibeatur à causis enumeratis 5. aph. 65. substituenda ptisana hordeacea.

Sunt qui secreti loco habeant hanc ptisanam extemporaneam quotidie, bis sumptam.

℞. *Farinæ hord.* part. iii.

Sacchari fini part. i.

Fiat S. S. S. in olla fictili vitreata, & primum, & ultimum stratum sit

facchari, facto deinde ex pasta operculo, indatur furno post panis extractionem, & coquatur ad sufficientiam id tertia ferè vice, seu immissione in furnum accidit.

Pro ptisana.

℞. *Hujus farinæ coctæ*. unc. iii.
Juris testudinum nemoralium, vel limacum unc. iv.
Misc.

Ad ulcus pulmonum verò peculiariter commendatur pulvis millefol. ad drach. i. quotidie sumptus ex jure, aut convenienti decocto.

Item placenta ex farfara sicca, butyro, & lardo quotidie sumpta.

Alii facchar. Rof. cum bol. armeno, aut simili terra medicata, lapideque hæmatite continuis aliquot mensibus usurpatum reliquis omnibus præferunt.

Obesitas extenuabitur post decentem vacuationem totius corporis.

Primò quidem victu tenui, multisque calidis, ac frequentibus frictionibus deindè verò quotidiano usu quorumdam attenuantium, & siccantium medicamentorum, inter quæ magis

lau-

laudantur fraxini seminis drach. i. ex jure cum unc. sem. aceti generosi, vel aceti scillitici cochlear ex jure multo ante cibum, oxymeliti scyllitico, ac trochiscis scylliticis eadem vis tribuitur.

Valet quoquè sem. Ameos, aut sem. existentis in baccis sambuci drach. j. pota cum decoctione fraxini.

Sed pulveri viperino, de quo inter alexipharmaca dictum est præcipua vis inest in exsiccando corpore, si scrup. sem. sumatur ex jure, aut vino, 4. horis ante cibum, eòque magis, si corpus strenuè exerceatur post pulveris sumptionem.

Hùc pertinent omnia sudorem, & urinam provocatia.

Carneam excrescentiam tollunt remedia constipationis à callo, aut carnejam proposita.

Hernia omentalis sola sectione periculi plena sanari, arcto cingulo ægrè cohiberi potest. *Intestinalis* facilè agglutinatur in pueris, & infantibus externo usu astringentium cum accommodata deligatione. In aliis ætatibus, si antiqua sit existimata eit hacte-

ctenùs solis medicamentis, sive chirurgia insanabilis. Usus tamen optimus rerum Magister, & medicamentorum judex non ità pridem edocuit adultorum hernias, & inveteratas solis medicamentis, & congrua victus ratione coalescere, sexagesimo ad summum die in virili, & senili robusta ætate; quadragesimo verò in juventute, & adolescentia, quorum remediorum opera pueri intra vigesimum diem restituuntur, nisi prolapsus intestinorum in scrotum sit ingens, & quodammodò habituatus.

Hæc autem medicamenta inter paratu facilia reponi possunt, cum ex paucis neque exoticis componantur, unico excepto.

Primum est huiusmodi, somatur drach. i. pulveris caulis herbæ bilinguis ex semicyatho vini rubri cum fol. ejusdem herbæ decocti, quotidie mane quinque horis ante prandium: Locus verò affectus illinatur quotidie oleo omphacino, in quo bullierit totus erynaceus terrestris senior, non detracta pelle, usque ad carnis contabescentiam.

Se-

Secundum, Sumatur per sexaginta dies cyathus vini rubri potentis alterati unc. i. equiseti (accipienda tota herba cum radicibus, & quam tenerrima, si fieri potest) ruditer primò contusi, eoque tempore gestetur continuè ad locum affectum spongia, eodem vino imbuta, & expressa.

Tertium, Sumatur drach.j. pulveris ex æqua portione herniariæ, rutæ murariæ, & asparagor. equiseti, ex semicyatho vini rubri generosi, jam dicti temporis spatio, & quotidie locus bis illinatur ol. communi, vel hyperici, in quo vivæ lacertæ diuturna insolatione contabuerint.

Quartum, gestetur ceratum ex æqua portione bdellii, & aloes tritæ cum albumine ovi, eoque tempore quotidie sumatur drach. i. infrascripti pulveris ex semicyatho vini rubri generosi quinque horis ante prandium.

℞. *Rad. consolid. mai.*
Caryophyllat. vulg.
Gratiolæ,
Bilinguis
Equiseti.
Coriandr. præpar.

Sacch.

Sacch. rof.
Chalyb. præparati cum aq. Rof.
an. unc. j. fem.

Mifc. F. omnium pulvis fubtiliffimus.

Præparatio chalybis ea eft, ut limatura chalybis, vel ferri reftinguatur aqua rofar. tum exficcetur in umbra, iterumque igniatur, & extinguatur eadem aqua, donec fubtiliter teri valeat.

Cæterùm in iftorum medicamentorum ufu in univerfim obfervandum eft, ut fubligaculum continuò geftetur, vitentur quoquè fpiritus contentio, corporifque exercitatio, & cibi, potufque flatulenti indulgentia.

Tumorum, qui fiunt ab humoribus, remedia ex dictis patent, cum dirigantur ad caufæ ablationem, quæ ab initio repelli debet, in augmento partim repelli, partim digeri, in ftatu digeri, aut fi fieri non poffit, fuppurari; tumor verò admodum durus, primò accuratè molliri, tum digeri, & refolvi: aliqua ergo hic tantùm abjungentur, tanquam quibufdam tumoribus compertiffima, para-

ra-

ratuque facillima remedia.

Ad erysipelas cujuscunque partis.
℞ farin. siliginis q. v. inde sacculo raræ texturæ, & parti admove quocunque fluxionis tempore.

Ad perniones ulceratos unguentum præstantissimum.

℞. *Fol. Tabac. virid.*
Cortic. median. sambuci an. M. i.
Rad. asphodel. maris incisæ; unc. i.
Ol. Communis. lib. i.

Coq. lento igne ad consumptionem totius humiditatis, facta forti expressione, adde
Thuris subtilis. pulveriz. unc. sem.
Ceræ flavæ. drach. vi.

Misc. F. linimentum, quo illiniatur pars affecta, deinde calentibus digitis fortiter perfricetur usque ad insignem ejus ruborem, & incalescentiam.

Valet quoquè ad cutis fœditates, & vitiligines.

Ad tumorem pedum ex lassitudine, diuturnoque morbo, & contusione.

℞. *Farinæ triticeæ totius* (h. est non repurgatæ.) lib. sem.
Pulv. Absynth. unc. sem.
Rosar. unc. j.

Vini rubr. auſt. q. ſ.

F. Cataplaſma ad lentum ignem addendo in fine

Ol. Roſ. Compl. unc. i. ſem.

Id admoveatur bis quotidie.

Ad ſtrumas non ulceratas remedium eſt, ſi poſt debitam totius corporis purgationem exhibeatur quotidie per quadraginta dies continuos drach. i. pulv. rad. gladioli vulgaris, qui inter ſegetes eſt frequentiſſimus, ſumaturque ex jure alterato radice ſcrophulariæ, quatuor horis ante cibum.

Parti verò applicetur Emplaſtrum ex contuſa cera nova nondum purgata ab apibus; & melle, quod ſi haberi non poſſit, ſubſtituatur hoc ceratum.

℞. *Pulv. lacert. in furno exſiccat.* drach. i. ſem.

Succi Tabaci.

Ceræ flavæ.

Picis Burgundiacæ an. unc. ſem.

Miſc. F. Ceratum, loco picis Burgundicæ, quæ rara eſt in Italia, ſumatur Colophonia.

Ad Cancrum non ulceratum, qui ad inſignem magnitudinem non pervenerit, ni-

nihil præstantiùs est usu diuturno Emplastri Aquapendentis post exquisitam totius corporis evacuationem, quod.

℞. *Farin. milii* lib. i.

Ol. Ros.(ducti in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, donec plumbi colorem contrahat) unc. v.

Sep. unc. v.

Redigantur in Emplastrum cum s. q. decoctionis solani hortens. sonchi, & virg. aur. æ æquis portionibus factæ in aq. purissima.

Pro aquosis, & flatuosis tumoribus valent remedia proposita inter discutientia.

Abscessus cum folliculo solis medicamentis non curatur, sed extrahendus est totus folliculus, vel si id fieri non possit, post tumoris apertionem est absumendus partim septicis putrefacientibus, partim causticis exedentibus, de quibus jam dictum est.

Remedia Morborum in numero.

CUm morbus in numero deficiente constituatur, penès defectum rei pertinentis ad integritatem viventis, morbis in numero aucto proprie spectari debebit, penès additionem alicujus rei naturalis, & numero tantùm redundantis; usu tamen, & abusione quadam vocum referuntur quoque ad morbum in numero calculi; vermes, & suffusio.

Remedia vermium, & calculi habentur inter ea, quæ respiciunt caussam à tota substantia.

Ad suffusionem hæc inter facilè parabilia maximè conveniunt oculo tepida admota, potissimùm verò opera cucurbitulæ ocularis, ut remedium diutiùs, atque validiùs agat.

℞. *Herb. Chelidon.*
Fœnicul.
Verbenæ.
Rutæ. an. M. i.
Mellis rof. lib. fem.
Sem. Rapi contusi. unc. ii.

Herbæ contundantur, omniaque mi-

mixta exponantur soli, & quotidie agitentur, post quadraginta dies exprimatur succus in æneo vase servandus ad usum, oculoque instillandus per se, vel miscendus collyriis mitioribus.

Aliud ℞. *Sacchari fini pulverizati*, & in patina vitrea super cineres ad rubedinem usque decocti, item *vitrioli à fecibus purgati*, solique expositi donec album colorem contrahatur, an. partes æquales. Hoc pulvere impleatur acetabulum ovi ad duritiem cocti, partibus deinde ambabus arctissimè ligatis, maceretur quatuor diebus in aq. Eupragiæ, vel vino albo subdulci, in quo priùs bullierit Euphrasia, vel fœnicul. aut sileris montani semen, expressio servetur ad usum in vase vitreo.

Aliud. ℞. *Vini albi dulcis optimè purgat. & clarificat.* lib. i.
Sem. fœnicul. drach. iij.
Caryophil. Indicor. drach. i. sem.
Macerentur per horas 24. F. Colatura, cui postea adde.
Aq. Vitæ . unc. ii.
Antimonii semel fusi cum æquali

portione salis petræ drach. ii.

Macerentur rursus per duos dies, deinde serventur ad usum in vase vitreo.

Aliud ℞. *Succum cæparum* per se instillatum, aut modico vini albi dulcis dilutum. Est præstantissimum collyrium, & quod mirè oculi inflammationem, si quæ adsit, è vestigio tollit.

Est quoque singulare collyrium inter ophthalmica descriptum, quod exigente necessitate efficaciùs reddi potest admixtione alicujus fellis, vel secundi col.yrii propositi, aut succi cæpæ albæ cùm lacte leviter decoctæ.

At proprie morbus in numero aucto, qui abundantiam materiæ, roburque formatricis facultatis sequitur, ustione, & sectione meliùs curatur, quàm medicamentis absumentibus.

Morbus in numero deficiente, si sit connaturalis, est omninò incurabilis, cum fiat defectu materiæ, & formatricis imbecillitate; adventitius etiam, si in parte spermatica consistat, e incurabilis, in parte carnosa interdum sanationem admittit; eademque exigit

git remedia, quæ ulcus vacuum, aut vulnus compositum, cum partem deficere contingat, ob illorum causas, puta sectionem, ustionem, erosionem, putrefactionem &c.

Remedia Morborum in situ, & connexione.

MOrbus in situ, & connexione, vel est connaturalis, & fit detractione materiæ tempore formationis, vel adventitius, à triplici nimirum causarum generatione fieri solitus, laxatione, seu dearticulatione continentium; soluta continuitate, & violenta tensione ob nimiam repletionem, vel exsiccationem.

Vitium formatricis non admittit curationem.

Aliæ triplices causæ eadem postulant remedia, quæ morbus in figura; qui morbum in situ necessariò comitatur.

Remedia Morborum in soluta

SOlutæ unitatis duo statui possunt summa genera, ulcus, & vulnus Illud fit à causa erodente, atque ideò necessariò conjunctam habet deperditionem substantiæ.

Vulnus est quæcunquæ alia soluta unitas sine causa erodente, sivè simplex fit unitatis solutio, sivè cum deperditione substantiæ, ut in vulnere composito.

Ac licèt pro partium diversitate subinde mutentur hæc nomina (siquidem ulcus in osse dicitur caries, vulnus in ossibus dicitur fractura, in nervis ruptis spasma, in punctis punctura, in carne contusa thlasma) naturam tamen retinent, & modo generationis non differunt, nam quodcunque ulcus fit à materia acri, & erodente; uti sunt humores, & ichores acres, venena acria, medicamenta septica, & caustica, ignis actualis, puris humiditas, in quam putrefacta substantia solvitur, ut in gangræna, reliquæ om-

omnes causæ continuum solventes, secundo, frangendò, tendendo, contungendo faciunt vulnus lato modo sumptum.

Simplex vulnus, seu solutio continui sine deperditione substantiæ curatur agglutinantibus, quæ siccando, adstringendo, adhærendo, labia vulneris in se mutuò cogunt, uniuntque, quæ unio in ossibus immediatè fieri non potest ob eorumdem duritiem, sed fit mediante callo, cujus materiam alimenta glutinosa præbent.

Fracturas verò affigunt, & firmant eadem glutinantia medicamenta, quorum duplex statui debet ordo; mediocrium, & valentium; illa conveniunt parti, & habitui humidiori: ista parti, & habitui sicciori, ac vulneri cruento.

Mediocria glutinantia magis obviæ sunt: albumen ovi, ascyrum, achyllea, cera androsæmum, bursa pastoris, balsaminæ repentis fructus, caseus recens, & ejus gluten, equisetum, caryophyllata, cystus, flos solis, gramen ischæmon, gummi prunorum, hedera terrestris, herba siciliana, her-

ba trinitatis, hypericum, lingua serpentina, millefolium, mespili folia, ophris, plantago, pyrus sylvestris, rosæ Damascenæ rubus, sanicula mas, serratula, scabiosa, veronica; virga aurea, ulmi folia.

Ex his parari possunt vulnerariæ potiones, possunt quoque aliæ formæ dari internè.

Exteriùs verò admoventur, vel contusa, vel pulveris modo aspersa, vel expressa, & instillata, vel decocta maximè ex vino rubro austero, eorumque opera adjuvatur deligatione; quæ labia vulneris unita detinet.

Sunt quædam alia, quibus recentia vulnera simplicia citissimè glutinantur, per se applicata, deligata, nempe resina laricina, abjetina, parietaria contusa, tabaci folia contusa, pix arida, persicaria maculata contusa, oleum insolatione factum ex foliis linguæ serpentinæ, aut fructibus balsaminæ.

Omnium verò præstantissimum, & instar balsami occidentalis (quo in glutinandis vulneribus nihil præstantiùs) est oleum, quod ex floribus recen-

centibus hyperici, phialæ inclusis ad solis radios, per descensum elicitur. Valent quoquè vermes terreni vino nigro eloti, ac triti; potest quoquè inter facilè parabilia oleum hispanum reponi descriptum in chyrurgico pentateucho Aquapendentis, quo 24. horarum spacio vulnera consolidari perhibetur.

Valenter conglutinant Alchimilla, Amaranthi purpurei flos, bugala, consolida major, galla immatura, Geranium quodcunque [sed maximè pes columbinus) hypocistis, lagopus, malicorium, olivæ, præsertim sylvestris folia, pilosella, polygonum, pruni sylvestris succus, quercus folia teneriora, symphytum, petræum Lobelii, virga sanguinaria.

Quorum omnium administrandi ratio est eadem cum superiori.

Extrinsecùs addantur pili leporis combusti, stercus asinin. spongia usta in pulverem trita, & matrisylva quomodo unque usurpata.

Quod si absque sensibili solutione contusa duntaxat sit pars, conveniunt roborantia mixta digerentibus, &

anodynis: hujusmodi sunt lardum cum absynthio contusum, absynthium in tegula calefactum, & vino aspersum, farina fabarum cum sapa in formam Cataplasmatis redacta, tota tritici farina cum vino nigro, pulvere rosarum, absynthio, & oleo ros. Cataplasmatis forma, persicaria contusa, & vino calente asperso, fotus aquæ calidæ, præsertim marinæ alteratæ absynthio.

Cæterùm hoc linimentum omnibus aliis præferendum ad sanandas contusiones, quod mirificè quoquè lenit tumentium hæmorrhoidum dolorem, & dentium dolorem tollit gingivis molliter affrictum.

℞. *Ol. Communis*. lib. j.
Medul. cruris bubul.
Ceræ fluvæ.
Resin. abjetinæ, *aut piceæ*(vulgò rasa) an. unc. ij.
Butyr. recent. unc. iij.

Liquefiant omnia lento igne, cumque medulla liquata fuerit, removeto.

Vulcus est, vel superficiale, vel profundius.

Illud est, vel actu tale, cui deest sum-

summa cutis, uti intetigo puerorum, vel est potentia tale, quod ex vi caussæ externæ citò evadit tale, nisi prohibeatur, uti est ambustio, cui si citò succuratur, nullum subsequitur ulcus.

Superficiale ulcus curatur mitioribus inducentibus cicatricem, iisdem curantur ambusta disruptis jam vesicis:

Illæsam autem partem servabis sequentibus maturè applicis sunt autem atramentum scriptorium, vernix liquida mollissimo linteo excepta, totum ovum cum ol. ros. aut per se agitatum, oleum ex mediano sambuci cortice per decoctionem paratum, albumen ovi optimè subactum cum aceto, addita portiuncula aluminis rupei crudi.

Præstantissima sunt duo sequentia unguenta, quorum primo illitæ partes ignem sine noxa tractare poterunt.

℞. *Succi ex tota althæa cum radicibus* primum.
express. unc. vj.
Ol. Sambucini unc. iiii.
Alum. rupei crudi unc. j.

Co-

Coq. lento igne ad mediocrem consistentiam, tum adde

Ceræ novæ unc. i. sem. Misc.

Secundum

℞. *Olei commun.* unc. iii.

Ceræ novę unc. i. sem.

Vitel. ovor. sub ciner. coct. N. ii.

Dissolvantur, & misceantur, donec abeant in unguenti formam, extendatur super linteum, & bis in die renovetur.

Extollitur etiam unguentum ex Ichthyocollæ, & alum. plumei partibus portionibus aceto subactis.

Item succus altheæ agitatus cum ovi albumine.

Profundius ulcus est primò implendum carne sarcoticis appellatis, quæ partis excrementum crassum detergunt, tenueque absumunt, tum cicatrice obducendum epuloticis, quæ insigni exsiccatione non modò excrementa, sed etiam sanguinem absumunt, summamque ulceris superficiem obdurant, & veluti in cutem convertunt.

Sarcotica seu implentia ulcus tàm latè patent, quàm variæ sunt cavi ulce

ceris differentiæ.

Nam ulcus valde humidum requirit valdè desiccantia, adeo ut obducentia cicatrice ulceri plano necessaria sint ad implendum ulcus cavum præhumidum: quod verò est valdè sordidam, requirit valender detergentia:

Hoc autem unicè observandum, ne sarcoticis valdè siccantibus, & detergentibus misceandur adstringentia, quia excrementum ulceri impingunt, redduntque profundius, & serpentius ulcus.

Itaque sarcoticorum duplex statui potest ordo; medriocrium, quæ conveniunt parti molli, ulcerique non admodum humido, ac sordido; & valentium, quæ conveniunt parti sicciori, ulcerique sordido, ac præhumido.

Ceterùm nulla est spes implendi ulceris ope sarcoticorum, nisi auferantur priùs impedimenta regenerationis deperditæ substantiæ, videlicet fluxio cujuscunque materiæ, vel copia, vel prava qualitate peccantis, intemperies partis ulceratæ, callus innascens

ſcens ulceri, caro flaccida excreſcens, oſſis item caries, corruptio intemperies.

Fluxionem tollunt vacuantia revellentia, repellentia, intercipientia, contemperantia, roborantiaque malè affectas partes, quarum vitio excrementa regenerantur, de quibus jam dictum eſt in remediis cauſſarum, & morborum ſimilarium.

Intemperies ulceratæ partis corrigitur alterantibus contrariis, de quibus etiam dictum eſt: in gangræna certè tanta eſt humiditas partis, & innati calidi diſſolutio, ut igne actuali, vel potentiali ſit opus, quorum ille citiùs operatur, partemque magis corroborat.

Incipiendi gangrenæ, aut ubi ejus eſt periculum, ut in magnis ictibus ſclopetorum, nihil eſt præſtantiùs ſequenti balſamo, ſi carpta filamenta eo imbuta ulceri applicentur, quo etiam ſordida omnia ulcera, ſi malignitas abſit, feliciter perſanantur.

℞. *Flor. ſulph.* unc. iii.
Ol. roſ. complet. lib. ſem.
Vini rubr. optimi. unc. iiii.

Ma-

Macerentur per octiduum leni igne & semper movendo ad vini consumptionem, fiat postea colatura, in qua dissolve.

Therebinth. clarissimæ. unc. ii. sem.
serva ad usus.

In ulceribus quoque à bile tenui, uti herpete miliari, aut non valdè exedente, & ulcerato erysipelate, maximum facessere solet negotium partis humiditas cum acrimonia conjuncta, cui egregiè prodest sequens unguentum sambucinum, quo non modò similia ulcera, sed ambusta omnis generis, & omnes penè cutaneæ fœditates persanantur.

℞ *Salis communis*.
Vini rubri opt. an. unc. iii.

Sal in vino dissolvatur, deinde adde:

Cortic. med. Samb. lib. sem.

Macerentur per duas horas, tùm adde:

Ol. rosat. completi lib. j. sem.

Bulliant lento igne ad humiditatis ferè consumptionem, fiat colatura sine expressione, tum residuo corticis adde ulteriùs.

℞. *Ol. ros. compl*. lib. sem.

Sa

Salis vino soluti, ut sup. unc. sem.

Coquantur strenuè ad totius humiditatis evaporationem, ut cortex fiat friabilis, cum hoc oleo diligenter expresso coque.

Lithargyr. auri præparati, & cribrati unc. ii.

Quibus exactè coctis adde prædictum oleum, move, donec incalescant, postremò impone sequentia simul per setaceum transmissa.

Ceruss. optim. unc. ii.

Plumbi cum sulphure usti non loti. unc. vii.

Ceræ flavæ q. s. ad unguenti consistentiam.

Callus tutissimè tollitur forcipe, aut igne actuali, ubi id fieri potest, sin minùs tollitur erodentibus descriptis inter remedia constipationis cavitatis. Hujus impedimenti occasione sæpè remanent profundæ fistulæ incurabiles, quæ secari non possunt, & necessariis remediis opportunè undique contrectari, his confert sequens balsamum, quo profundæ ani, testiumq; fistulæ sanari visæ sunt.

Paratur autem hoc pacto facilè.

℞.

℞. *Geranii, sive pedis columbini incis.* unc. ii.

Rad. Iridis opt. notæ. drach. iii.

Rad. ellebor. nig. præparat. drach. ii.

Granor. Tritic. M. i.

Contundantur ruditer, & infundantur per diem in vini rubri austeri libii, deinde adde

Ol. hyperic.

Myrthini an. unc. iii.

Bulliant lento igne ad consumptionem humiditatis, facta expressione, & colatura, adde

Bituminis,

Myrrhæ an. drach. i. sem.

Stent ad lentum calorem, donec perfectè liquentur, denique adde

Lacrimæ Abjetinæ

(& si fieri possit) *Balsami Occidentalis* an. unc. i.

Misce ad lentum calorem, & F. balsamus fistulæ instillandus, & turundis illiniendus.

Carnem flaccidam in ulcere luxuriantem tollunt remedia descripta contra morbum in constipatione à carne, & callo.

His

His tamen addatur sequens pulvis Escharoticus, quo maligna vulcera (ut scrophulæ malignæ, & cancri ulcerati) si parva sint, & recentia feliciter persanantur.

℞. *Rad. Serpentariæ major.* in Junio collect. sectarumque in taleolas, & in umbri siccat.
Arsenic. Chrystallini an. unc. i.

Pulverizentur, misceantur, & usque ad Octob. initium radiis solaribus exponantur in ampulla vitrea benè clausa, & frequenter agitentur, tùm servetur pulvis ad usum: qui talis erit: abluatur aliquoties ulcus, madidoque linteolo foveatur aqua nenupharina, aut ejus decocto; postridie inspergatur pulvis munitis partibus sanis aliquo cerato, ne ultra quàm par est, serpat pulvis; spontè excidet eschara intra duos dies, & curatio perficietur sarcoticis valentioribus.

Os ulceri subjectum, ac detectum est corroborandum inspersione pulverum, ut caro superinduci possit.

Parantur autem ex æquis portionibus rad. peucedani, aristolochiæ rot. Iridis myrrhæ, thuris.

Quod

Quod si jam nigredinem contraxerit, ferro deradente, atque igne actuali est opus, tùm inspergendus pulvis.

Si cariem contraxerit tollenda est quoque ferro, & igne.

Cæterum aliquando accidit ob *ulceris angustiam*, & sinuositatem tangi nulla tenus posse subjectum os ferro, aut igne, ac stylo ipso ægrè percipi, quo casu infundendum est aliquid acre, & exiccans per aliquot dies, ut caries firmetur. Hujusmodi est inter paratu facilia decoctum aristol. gentian. & Ari, trajectum per tartarum calcinatum sacculo inclusum.

Laboriosior est spiritus tartari, qui ad hoc opus in primis commendatur, si convenienti liquore temperetur. Ablatis impedimentis proficuus postmodùm erit usus sarcoticorum, seu implentium ulcus, quorum sequitur enumeratio.

Vulceri non admodum humido, sordidovè, partique molliori conveniunt sarcotica mediocria, nempe aq. thermales salsæ, & nitrosæ, betonica, gentianæ radix, hedysarum, iris, matrisylva, mel coctum, persona-

ta,

ta, resina omnis, scordium, triticum, thus.

Ex herbi fieri possunt decoctiones pro ablutione, & infusione. Fient etiam extemporanea unguenta, facto priùs oleo per decoctionem tùm addita portione ceræ, & si placet aliqua etiam mellis, & resinæ, aut pulverum, qui maximè parantur ex radicibus, & thure.

Potest quoque simplex pulvis etiam ex herbis paratus ulceri inspergi.

Externis addatur tabacum, & centaurium minus.

Forma extemporanei unguenti poterit esse hujusmodi.

Fol. beton. M. i.
Tabaci M. sem.
Ol. commun. unc. iiii.

Herbæ concisæ coquantur in oleo ad totius humiditatis consumptionem deinde adde.

Resinæ vulgar. unc. i.
Ceræ novæ. unc. sem.
Pulv. rad. Iridis. vel Thuris drach. ii.

Misc. F. unguentum.

Valentiora sunt, ulcerique sordido, ac

ac parti duriori conveniunt aristol.rot. radix, bonus Henricus, colus Jovis marrubium, mel crudum, myrrha, peucedani radix.

Et in extrinsecis. Acs ustum Hispanicum (vulgò ferretto di Spagna) mixtum aquæ plantag. fuligo camini, fulligo pici, calx optimè lota, pix arida, pix liquida mixta melli, testæ buccinar. & quæcunque marinæ crematæ, omniumque sarcoticarum herbarum cineres.

Horum potest esse varia forma puta linimenti, unguenti, pulveris, succi, aut decocti.

Folia quoque boni Henrici, & colus Jovis leviter tusa, & adversa parte administrata per se curant ulcera disepulotica.

Huc pertinet Balsamus sulphuris descriptus, qui cava ulcera mirificè implet, ex eo conficit Rulandus unguentum ad omnia ulcera rebellia valdè celebratum; habet autem.

Balsami Sulphur. unc. iii.
Ceræ novæ . unc. sem.
Colophon. drach. iii.
Myrrhæ ad Pondus omnium.

Myr-

Myrrha subtilissimè trita inspergatur paulatim reliquis simul liquefactis, probèque commixtis, atque igne lento coquantur, spatha semper agitando, donec optimè fuerint permixta, quod ferè contingit post quartam horæ partem. Tum removeantur ab igne, & paulatim frigescant.

Huic tamen medicamento neque ulli alii cedit Emplastrum Theophrasti paratu facillimum, quo ulcera inveterata, putrida, fœtida, cavernosa, sordida egregiè curantur, potestque omnibus cavis ulceribus aptari, si pro ulceribus acri fluxione tentatis, valdeque sentientibus temperetur unguento sambucino supra descripto pro herpete, addendo majorem, aut minorem quantitatem, pro ut sensus partis acutior fuerit, & major, aut minor aderit necessitas regenerandi carnem.

Est autem Emplastrum hujusmodi:

℞. *Vitel ovor.* N. x.
Therebinth. claræ lib. sem.

Misceantur spatula lignea in unguentum in ipso vase, ubi debent coqui

qui, & hoc perficiatur spatio semiquadrantis horæ, tùm adde mel. ad pondus omnium, moveantur strenuè, & subitò, ne grumos edant, tùm coque lento igne carbonum, continuè movendo, postmodùm ignem augendo, donec contraxerint fuscum colorem, & ad nigrum potiùs, quàm flavum, aut ruffum vergentem.

Repletum ulcus, atque ad æquabilem cum parte sana superficiem redactum, clauditur epuloticis, seù cicatricem inducentibus, quorum alia sunt mitiora, convenientia parti molliori, alia valentiora convenientia parti, & habitui duriori, quibus, si in carne molli utaris, cicatricem quidem obduces, sed duram, callosam, & quæ articuli motum impedire possit.

Mitiora magìs obviâ sunt, argilla, seu creta alba, cauda equina, flos utriusque mali punici, cerussa, gossippium ustum, linteorum cinis, nummularia, os sæpiæ, spongia usta, pili leporis usti, tormentillæ radix, terræ quæcumque medicatæ, lithargyrium, omniaque frigida mediocriter astringentia, imò frigidi aeris conta-

ctus per se cicatricem obducit; arida forma efficaciùs agunt, quàm humida, itaque insperſi pulveres ſuperpoſitis filamentis carptis conferent.

Ad vitandam tamen *cicatricis inæqualitatem*, atque duritiem in parte conſpicua ſatiùs eſt uti linimentis, vel unguentis.

Præſtantiſſimum eſt ſambucinum jam propoſitum contra herpetem.

Alia extemporanea parari poterunt ex ceruſſa, vel lithargyro cum quadruplo olei roſ. aut ſimilis,& momento ceræ, immiſcendo pulveres magis ſiccantes, ſi neceſſitas poſtulet.

Valeatio ſunt omnia frigida ſtrenuè adſtringentia aliàs propoſita, quibus addantur aqua thermalis, aluminoſa, & gypſea, qualis eſt Patavina montis ægrotorum, Antimonii calx optimè lota, calx vulgaris probè lota, creta vitrioli, gypſum, ferri limatura toties aſperſa aqua roſar. plantag. aut ſimili liquore, & ſiccata, donec in pulverem teri poſſit; ſquamma, & ſcoria ferri lota, plumbum per ſe uſtum, & lotum, teſtæ quorumcunque animalium uſtæ, & lotæ, quæ

omnia

omnia (excepto ferro, & aliàs propositis adstringentibus) externà adhibentur, vel pulveris forma, vel mixta mitioribus unguentis Thermæ balneis, & insessionibus inserviunt.

Atque hæc ferè sunt medicamenta facilè parabilia, quibus ubicumque terrarum, & absque pharmacopœi opera quodlibet ægritudinum genus persanari potest.

Modus omnia, ubi opus sit, expeditè, & absque instrumentorum apparatu permiscendi non obscurè colligi potest ex variis extemporaneorum compositorum exemplis, quæ per totam tractationem sunt sparsa.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

JUCUNDISSIMA

PRU

DELICATULIS

AC

DIVITIBUS

MEDICAMENTA.

Thypographus Lectori.

Nemo fortasse indignabitur, si post Medicinam Pauperum etiam nonnulla pro delicatulis, atque Divitibus Medicamenta superaddamus. Ita parvulus iste libellus utrorumque manus terrere poterit, cum ipsi nihil ad jucunditatem, nihil ad utilitatem pro sanandis ægris defuturum esse speremus. Vale.

LE-

Lenientia, atque Purgantia.

1. CAſſia condita Genuæ, aut in plagis Orientalibus ad unc.ij. ante prandium, aut cœnam per horam.

2 Mercurialis q.ſ. pro ætate patientis cocta in juſculo cum pauco Cinamomi, Coletur juſculum additis unc. ii. Sacchari, niſi abhorreat à dulcibus, aut ita bibatur.

3. Radix Mechoacan., vel Sena, eodem modo parari poterit, additis ſeminibus Citri.

4 Lac coctum, ſive Roſacea cum unc. i. Roris Cæleſtis ante prandium.

5. Ficus ſiccæ, aut paſſulæ majores, & minores, cum Roſis recentibus miſceantur per menſem, verno tempore, & quarta quaque die immutenſur. Vim enim acquirunt ſolutivam.

6. Ita Caſtaneæ eodem modo ſub Roſis retentæ, tribus, aut quatuor ante prandium comeſtis mirificè evacuant; ita Dactyli &c.

7. Uva recens dulcis, cum rore commesta ante prandium.

8. Tartarus crudus ad duo Cochlearia in jusculo ante cibum. Rustici in Ungaria sola hac utuntur Medicina.

9. Emulsio seminum Melonum pro Delicatulis, cui loco Sacchari ponatur Manna electa: aut in aqua bullierit Sena, vel Mercurialis S. A.

10. Conserva Rosarum minorum albarum ad unc. i. ſ.

11. Panis Martius cum Manna, vel cum Mechoacanna pul. Ita puelli decipiuntur.

12. Pro decipiendis etiam pueris:

℞. *Fol. Senæ* drach. i.
Coriandr. pulveriz.
Cinnam. pulveriz. an. drach. ſ.
Sacchar. finiſs. unc. ii.

Pulverinzentur omnia, & in tres partes æquales dividantur, quarum una condatur, vel immisceatur cum cibariis.

13. ℞. *Mechoacan.* drach. ii. Ponantur in infusione per diem naturalem cum Cinnamomo; aut seminibus citri, coletur, & jusculum bibat.

14.

14. Diacytonium Magistrale solutivum.

15. Diaprunum conditum, ut Dyacytonium.

16. Rhabarbarum in Rotulis paratum, vel variis modis involutum.

17. Pistachia solutiva.

℞. *Diagridii* gr. iiij.
Aq. Rosar. unc. i.

Infundantur, & colentur, & cùm Saccharo, quod superaffunditur, cooperiantur. Est dosis pro unica vice. Ita Amygdalæ, & pinei parari possunt, & fieri bellaria solutiva.

18. Tamarindi cum Cassia extracta, & cum Julapio immixta. Julapium potest esse, aut Perlatum, aut gemmatum, aut ex cortice Citri pro Divitibus.

19. Electuarium elegans.

℞. *Mannæ electæ* unc. iiij.
Passul. unc. ii.
Folior. Senæ electæ drach. vj.
Semin. Anisor.
Cinnamom. an. drach. ii.
Syp. Ros. sol. q. s.

Misc. F. Electuar. S. A.

20. Medicamentum olim Regis Galliarum.

℞. *Turbith. alb.* drach. ii.
Hermodactyl. drach. i. ſ.
Cinnamom.
Zinziber.
Macis an. drach. i.
Gariophyllor. ſcrup. ii.
Semin. Aniſi,
Fœniculi an. drach. ſ.
Mechoacan.
Been alb. an. drach. i. ſ.
Rhab. electi,
Salſæparill. an. drach. iii.
Carab. ſcrup. i.

Miſc. f. pulv. ſubtiliſſimus. Doſis drach. ii, cum unc. i. *Sacchar. roſat.*

21. Acetum ſolutivum optimum.

℞. *Aceti acerrimi* lib. ii.
Paſſular. unc. ii.
Folior. Senæ unc. j. ſ.
Mannæ elec. unc. ſ.
Cinnamomi parum.

Infundantur per horas 24., deinde bulliantur: coletur, & ſervetur ad uſum. Poteſt etiam fieri abſque ebullitione.

22. Pro decipiendo aliquo. Diſſol-

va-

vatur pasta cum jusculo, in quo infusa fuerit Senna, aut Gratiola, aut cum illo jusculo coquantur cibaria.

23. Potest etiam parari Cocolatas, aut Thè, aut Coffè cum aqua solutiva, in qua scilicet fuerit infusa Senna, aut quid simile.

24. Pro pueris etiam Azyma, aut Morselli, aut Bellaria, sive alia hujusmodi gulæ blandimenta cum speciebus Diaturbith.

25. Extracta etiam fiant ex Rhab. Agarico, Polipodio, Senna, Turbith. hermodact. &c., quæ in minima dosi æquè operantur, ac magnis referti calices potionibus.

26. Spiritus vini, cui infusa fuerit Senna, aut aliquod aliud solutivum, aut Diagridium, aut quod simile cum Julapio edulcoratus.

27. Possunt etiam Saccharo condiri Mirabolani, Rhabarbarum, & similia, possuntque etiam aviculæ præparari cum Turbith, Carthamo, Elleboro, & Rhabarbaro, atque in aceto servari.

Sed de his satis.

De Potu in febribus eleganti.

1. Vinum Cerasorum.

℞. *Cerasorum* lib. i. ſ.
Aqu. fontis lib. x.
Vini mediocris unc. xx.

Ponantur omnia in Oenophoro vitreo, & permittatur ebullitio per xii. dies; Coletur, & ſervetur in vaſis vitreis.

2. Aquæ ſtillatitiæ, ut amittant odorem. ℞. *Arenæ fluminis* ter, quaterque lotæ, & exſiccatæ q. ſ. Ponatur in matulâ lignea perforata, deinde ſuperimponatur aqua vitro elambicata, ut percoletur, omnemque amittet odorem.

3. Aqua coćta cum radice Acetoſæ, aut Tamarindis, ubi ſitis urget, & bilis effrænis eſt.

4. Aqua Citrata. ℞. *Citrum unum exactè maturum*, in minuta fruſtula ſecatum, atque in catino cum tribus lib. aq. fontis poſitum. Contrectentur manibus fruſtula, ac comprimantur, deinde omnia quaſſentur: Adde Sacchar. unc. iij. Coletur.

5. A-

5. Aqua Nuceriana, vel fontis purissima cum Sale prunellæ, vel spiritu nitri, aut Salis dulcif.

6. Serum distillatum cum succo Limonum.

7. In febribus malignis succus Citriorum maturorum cum multa aqua distillatus in B. M. cum pauco vino.

Deliciæ Ægrotantium, aut Convalescentium, aut Gravidarum.

Conserva ex acido Citri, radiis Solaribus facta. Conserva ex toto Citro, ex Floribus Citri, ex Lactuca, ex Floribus Boraginis, Cichorei, Betonicæ, Anthos, Malvarum, Citoniorum, Myrtillor., Balaustior.

Rursus Conserva ex Radicibus Cichorei, ex Ribes, ex Oxyacanta, vel Uva spina, ex Berberis, ex Mespilis trinucleis vulgò *Azzaroli*, de Uva varicosa, ideft, quæ nec matura, nec immatura exftet, ex Pomis Granatis, ex Marenis, ex Moris semimaturis, ex iviubis.

Vi-

Vina.

Vinum ex Cerasis vocatis *Marasche*, o *Marene*, ex Fragis, ex Cerasis acidodulcibus, vulgò *Visciole*, ex Ribes, ex Berberis, ex Pomis, ex Cidoniis, ex Pyris, ex Sorbis &c.

Condita.

Condire Citria Poma, Aurantia, seu cortices eorum, Eringios, Cucumeres, Pyros, Citonia, Mora femimatura, Nuces immaturas, Prunos, Cornea, partem duriorem Anguriæ, quæ postea sciinditur in minutas taleolas, detinetur in aqua, deinde in ore. Ita Lactuca &c. Cucurbita &c. Ex partibus Orientalibus deferuntur Mirabulani, Chebuli conditi. Ex Creta fructus Salviæ Cretensis, Zinziber &c.

Aceto servantur.

Mespila semimatura, Sorbæ semimaturæ, Iviubæ maturæ, Cucumeres parvuli, *Phaseoli* præcoces, Fœniculi præcoces, maturi etiam, Amygdalæ præcoces, Cerasa matura, Folia,

lia, & fructus Capparorum, Flores nondum aperti Nasturtii, Uvæ diversæ, Flores Aurantiorum, Citrorum, Limonum, summitates teneræ eorumdem, Asparagi, Cinara, Napæ &c.

In Melle.

Servantur Castaneæ.

In Muria.

Conservantur Fungi, aut Sole arefacti:

Conservæ, quæ non sunt in usu.

Fieri possunt ad coroborandum, & adstringendum ex Floribus Myrti, Rupi, Granatorum, Citoniorum.

Conservantur Fructus virides.

In Vase optimè clauso sub aqua, sub nive, sub terra, sub arena, sub cinere, aut cera incrustati, & in ampulla vitrea exactissimè clausi, uti Uva non perfectè matura, Pyra, & Poma, Mespila trinuclea, vulgò *Azzaroli* lecta decrescente Luna, & alia huiusmodi.

Vul.

Vulneratorum solatia, & *Sanitas*.

1. FOlia Tabaci contusa, & superimposita vulnus sanant, vel succus eiusdem labijs instillatus, facta prius ablutione ex vino, deinde superimponatur folium eiusdem Tabaci.

2. Aqua ex Cera distillata confestim sanat, si in ista lintea madefacta superimponantur vulneribus.

3. Vel ℞. *Oleum vetustissimum* ad unc. iij.
Therebent. pur. unc. viij.
Tritici integr. unc. i. ſ.
Hypericonis unc. ij.
Rad. Card. bened.
Valerianæ an. unc. j.
Thur. pul. drach. ij.

Radices, & herbæ crasso modo contundantur, postea in olla ponantur cum tanta Vini albi quantitate, ut omnia immergantur sub ipso: stent in infusione per tres dies naturales. Addatur postea Oleum, & Triticum, & coquantur omnia ad vini consumptionem; facta expressione, addatur

Thus

Thus, & Therebentia, iterumque ponantur ad ignem, & bulliant parùm. Serventur in vase vitreo ad usum: dicitur Oleum Hispanorum.

4. ℞. *Terebent. optimæ*,
Salis Sardin. an. part. æqu.

Eliciatur Oleum per destillationem, quod singulare est in vulneribus.

5. ℞. *Aquæ Vitæ pluriès rectif.* unc. vii.
Benzoin unc. i.
Balsam. unc. s.

Misc. & ponantur ad radios Solis, vel in Balneo Mariæ. Est efficacissimum, nullique secundum vulnerarium.

6. Balsamum vulgò *dell' Impiccato*, aut Alexandrinùm, quod pro Arcano venditur, & summè commendatur.

℞. *Calcanti*, sive *Vitrioli rubificati*,
Lithargyrii,
Boli Armeni an. unc. ij.

Misc. pulverizentur. Sume istius pulv. unc. ij. Ol. veteris Olivarum opt. lib. j. Ponantur pulveres in Sacculo appenso Oleo, & bulliant omnia simul, donec oleum ad gustum sa-

saporem habeat rancidum. Inunguntur vulnera solùm extrinsecè sine turundis, & mirè sanantur,

7. ℞. *Aquæ Reginæ* lib. sem.
Ol. Apparicis unc. iij.
Balsami Peruv. al. & liquid. unc. j.

Misc. & servetur pro usu. Est remedium consimile scilicet supramemorato, & dicitur jurememeritò Balsamum Balsamorum. Sanat enim quatuor dierum spatio.

8. Liquor Balsamicus nobilissimus, qui non solùm mirabilis est in vulneribus, sed etiam in Pleuritide, Apoplexia, Epilepsia, Fluxionibus, Febribus malignis, & paucis verbis, in omnibus illis malis, in quibus sanguini ad coagulationem rendenti debet laudabilis motus conciliari.

℞. *Balsam. Peruv. opt.* unc. iiij.
Belzoin amygdalati unc. iiij.
Styracis unc. ii.
Myrrhæ unc. j.
Thuris unc. j.
Mastic. unc. ſ.
Carabis unc. ſ.
Cariophyllor. drach. j.

Mo-

Moschi gr. v.

Spiritus Vini lib. v.

Contundantur omnia crasso modo, atque in prædicto Spiritu vini infundantur per diem naturalem, deinde bulliant lento igne in Alembico, aut Vase Circulatorio.

Cave, ne detur ignis statim violentus, sed gradatim, & quòd vas vitreum sit amplum, & exactè clausum.

E' Gallia translatum est hoc Arcanum. Præscribitur internè, & externè. Dosis ejus internè in aliqua aqua appropriata a scrup. ſ. ad scrup. j. Datur etiam in jusculo.

DE

DE
VENENIS
ET
ALEXIPHARMACIS
Compendiosa Tractatio.

AUCTORE

JO: PREVOTIO

In Patavino Gymnasio olim
Medicinæ Professoris
Primi.

PRÆFATIO AD LECTOREM

Utilem esse Venenorum cognitionem.

VEnenorum cognitio non inutilis tantum, sed detestanda videri posset: nisi maleficorum hominum, qui illis ad vitæ perniciem abutantur, improbitas imponeret medicam artem profitentibus necessitatem inquirendi omne tormentorum genus, quo caducæ humanitatis imbecillitas etiam pro improborum libidine concutitur. Nullus enim ignoratis malorum caussis, rectum invenire, ne dixerim, admovere præsidium unquam didicit. Idque tanto difficiliùs in Venenorum curationibus, quantò occultior est veneni vis, naturam destruens, omniumque, medicamentorum operam fallens, paucis exceptis, quæ multorum sæculorum experientia venenorum potentiam eluctari observavit. Inter quæ, fateor, esse

esse nonnulla ad infrin. gendam omnium propemodum virulentorum vim tam efficacia, ut etiam non cognita Veneni corpus affligentis specie, magna inde concipi possit salutis spes, lethaliumque accidentium curatio institui: tutius tamen, quæ citiùs sanari infectum, si cuique veneno proprium opponatur αντιδυτω, *dubitari non potest. Est igitur apprimè utilis singulorum venenorum cognitio ad arcendam illorum calamitatem, omnibus quidem fortuito casu impendentem, iis verò præcipuè timendam, quorum fortunam dignitatem, famam multorum oculi iniquè ferunt. Invidia enim animi tyranna non nisi ad grande malum alieno bono irritatur & fortasse levia putaret venefica tormenta ad explendam optimi cujusque clade rabiem, si graviora dolosum scelus invenisset. Et tua,* Optime Lector, *quamquàm innoxia virtus, perditorum hominum fraudi est obnoxia, ut aliquid operæ ad salutis tuæ custodiam collaturum me sperem, si quos fortuna tua virtute splendidior graviùs offendit, exarmavero hisce telis, quæ aptiora sunt insidiis, tibique*

quæ omnia indicavero, tum Venena, tum his adversantia Alexipharmaca. Nam uti est in proverbio, jacula prævisa minùs feriunt, minimè verò venena, quorum vis planè irrita evadet, si optimorum Alexipharmacorum frequenti usu naturam probè communiveris. De utrisque ergò brevem accipe tractationem disputationibus quidem vacuam, quæ in hoc argumento, vel curiosè quæri solent, vel necessariò sciri debent.

A signis particularium venenorum sejunxi hunc laborem, & quia omnia tamen perstringentem ingentia extant de illis conscripta volumina, inter quæ primas tenet Sancti Arduini opus, & quia non obscurè colligi possunt ex proponendis tabulis, in quas Venenatorum materias, certò quodam, facilique ordine coegi quibus, ut nihil desideretur, inquirendum est primò, quid sit venenum: quaque ratione corpus nostrum immutet; deinde ad venenorum actio in corpus, vel pro dantis arbitrio, vel pro naturæ propriæ efficacia certo temporis spatio sit definita, tùm an omnium venenorum assumptio minimè du-

hiis conjecturis ab exercitato Medico dignosci valeat. His enim explicatis faciliùs innotescent genera Venenorum, & contentæ sub singulis species postremo loco recensendæ memoriæ firmiùs imprimantur. Quo ordine, quidquid ad Alexipharmacorum notitiam pertinere videbitur, pari brevitate complectar.

QUID

QUID SIT VENENUM

CAP. I.

EOrum, quæ aſſumuntur à nobis, tria ſunt genera; Alimentum, Medicamentum, & Venenum: Alimentum eſt id, quod à viventis calore immutari, & in ejuſdem abire ſubſtantiam poteſt, ideoque patiendo potius, quam agendo afficit corpus, quia neceſſariò vincitur à calore, ut in alienam ſubſtantiam tranſmutetur. Reliqua duo agendo præcipuè afficiunt corpus, cum victricia remaneant, neque concoqui poſſint, & deſluentem corporis ſubſtantiam nutritionis ope reſarcire. Ac Medicamentum dicitur, quicquid alterat corpus cum juvamento; Venenum verò, quod naturam corporis corrumpit, ac propterea alimento è diametro opponitur, medium inter hæc

autem aliquod ad nutriendum, vel corrumpendum corpus sit comparatum, aliunde non provenit, quàm à certa proportione temperamenti, cujus causa alimentum potentia est tale, quale est vivens: Venenum verò vitæ conservationi adversatur. Quam temperamenti proportionem nulla humana mens à priori definire potest, siquidem sensu rationis ministro excedens dumtaxat in temperamento qualitas percipitur, at qualitatum ipsa proportio, neque tactu percipi, neque animo planè deprehendi potest. Itaque non est mirandum, si alimenta, & venena, sola experientia duce, nobis innotuerint, & pro vario viventium genere, mutata nimirum temperamentorum proportione, alimenta, venenaque variant; adeo ut interdum homini sit venenum, quod pecudem nutrit, & vice versa pecudem interimat, quod hominis naturæ est amicum. Ex quo facilè intelligere est: qua ratione venenum agat in corpus. Cùm enim universo corpori viventi, cunctisque ejus partibus certa insit temperamenti pro-

proportio, propriis definita terminis excessus, & defectus, extra quos vitale temperamentum esse definit, constat, eam temperamenti latitudinem perverti, penitusque destrui oportere ab eo, quod veneni nomen mercatur. Duo autem ad temperamentum vitæ functionibus inserviens necessariò concurrunt, insita temperies à mutua elementorum refractione orta, & influens calor, quo insita temperies actuatur. Utrumque expugnat venenum, eademque pugna geminam infert cladem dissolutione caloris influentis, & proprii, seu insiti temperamenti corruptione non quemadmodum excellens aquæ frigus, & intensus ignis ardor corrumpit corpus excessu qualitatis omnia in se commutantis, sed toto temperamento viventi corpori adversante, licèt in eo nulla sit excellens qualitas, quæ ultra medicamenti vires agere, atque alterationis fines excedere deberet, ea propter impropriè venena appellantur, quæcunque qualitatis excessu nos corrumpunt, vel frigiditate extinguendo, vel caliditate inflammando,

eaque non genere, id est naturæ contrarietate, sed copia nocere omnes cum Galeno confitentur. At propriè venena, quæ genere necant, longè minorem quantitatem [habent enim & ipsa determinatam, qualis ad omnem naturalem actionem requiritur] postulant, & in parva quantitate brevi totum corpus immutant. Neque est existimandum, propriè venena omnia inferre mortem primaria cordis affectione quamvis certum sit, ea vitæ adversari. Nam partium temperamenta, proportione cum differant, non habent eamdem cum venenis repugnantiam, sed pro varia partium dispositione variat quoque venenorum actio. Quare alia primò afficiunt cor, omnium deterrima; alia pulmones, ut lepus marinus; alia vesicam ut cantarides; alia nervos, ut Argentum vivum: alia cerebrum, uti ursi cerebrum; medulla arietis, & quæcunque alia hominem dementant, alia Testes, uti menstruum corruptum; quamquam à partibus primò læsis necesse est cordi communicari noxam, priusquam vita decedat.

An

An Veneni actio in corpus sit certo temporis spatio definita.

CAP. II.

DEclarata Veneni natura, deinceps inquirendum, quanto tempore perferri possit illius actio, salva vita, hoc enim cognito, constabit quoque, an venena diu latere possint in corpore, antequam proprias vires exerceant, & an dari possint aliqua tam ignava, quæ longissimo dumtaxat temporis tractu conficiant, interim verò indomita à viventis calore expelli nequeant, sed in corpore ad certissimam illius perniciem necessariò conserventur. A manifestis dubii solutionem deducamus. Quis autem non confitetur, finitam agentium, patientiumque naturalium agendi, atque resistendi potestatem aliquo finiti temporis spatio circumscribi? omnis enim finita virtus agendo, patiendoque consumitur, eòque citiùs

absolvitur actio, quò virtus activa fortior, passi verò resistentiam debilior extiterit. Cum igitur non omnium corporum, quæ à venenis patiuntur, eadem sit dispositio, neque omnium venenorum eadem activitas, incertum esse spatium victoriæ, qua venenum de vita triumphat, recesse est. Qui calido, humidoque sunt temperamento, atque adeò meatus amplos habent, faciliùs inficiuntur, citiùsque pereunt, quàm natura frigidiores, totoque corpore adstrictiores; Qui multis abundant excrementis, potissimùm in ventriculò ægriùs afficiuntur, obruto ad tempus, & impedito veneno superfluitatum alluvione, quàm bono habitu præditi, in quibus venefica vis sanguini, membrisque celerrimè communicatur. Inter venena ipsa citò interimunt, quæ calida sunt, partiumque tenuium, ac propterea in penitiores vias facilè sese insinuant, lentiùs agunt frigida, & terrenam habentia substantiam, quia insensibiles partium cavitates ægerrimè subeunt, eamdemque ob causam viscida, & oleaginosa aliquo tempo-

re

re ventriculo adhærescentia priusquam aliò distribuantur, tardè se produnt. Adhæc citiùs agunt propriè venena quæque, naturæ contrarietate necant, quàm impropriè venena, quæ qualitatum excessu, & mole necem inferunt. Non tamen putes, perpetuum esse, quod scribit Galenus; Venena genere lethalia altero, vel tertio die interficere: Erodentia id ut plurimùm præstant, aliquando etiam primo die, si ventriculum acri sensu præditum offendant. Quæ putrefaciunt, longius requirunt tempus ad humorum, partiumque corruptionem: Quæ autem cordi, spirituique vitali primò adversantur, intra paucas horas è medio tollunt, si vel tenuissimam habeant substantiam, qualia sunt quorundam animalium in Aphrica degentium spumæ, & liquores naturales stirpium quarundam venenatarum Arabiæ, & utriusque Indiæ; vel vaporis forma respiratione in cor attrahantur, aut etiam transpiratione arterias penetrent, quales sunt venefici vapores aquarum, quibus indumenta, & alia, quæ con-

trectantur, infici consueverunt. Atque ex his altera dubitationis pars facilè diluitur. Possunt enim venena diu latere in nobis, & longo temporis tractu corrumpere, imò quod incredibiliùs videri possit, diu aliquando detinentur venena, vel assumpta, vel in corpore procreata, priusquam in loco affecto notabile aliquod symptoma pariant, quæ tandem post quatuor, aut sex menses, vel longiore temporis decursu hominem perimunt, ut eleganter comprobat Galenus 2. in pr. Prorrhet. textu 17. exemplo veneni canis rabidi, cujus actio tanquam emortua lethifera facultate per plures annos feriari sæpè observata est, rabiemque, & funestum aquæ timorem tunc demùm inferre, quando omnis in demorsa parte relicti veneni vis, & multorum annorum intervallo enervata, & continuo corporis defluxu planè consumpta credebatur. Hujus eventus causa jam indicata est.

Nam venena, quæ circa ventriculum, & in longissimo venarum tractu hærent, priusquam appellant ad partem, cujus naturæ adversantur, nul-

nullum pestiferæ virtutis evidens argumentum exhibere possunt, cum actio quæcunque corruptiva ratione contrarietatis fiat, & sine patientis ad corruptionem dispositione, non modò perfici, sed ne inchoari quidem possit. Itaque mirandum non est, si partium, quæ à veneno non patiuntur, expultrix veneni commercium ferat, aliarumque partium noxam, veneni depulsione minimè avertat: Cur autem venena diu hæreant in longinquis partibus, vel in corporis impuritatem, densitatem, frigiditatem, vel in veneni lentorem, oleositatem, crassitiem, atque constipandi vim referri debet. Quod utinam perditissimis venenorum compositoribus ignotum esset. Nam ut maleficium celent, abutuntur arte, & acutissimorum etiam venenorum vim pro arbitrio retardant, adstringentium crassorum, viscidorum, pinguiumque commixtione. Qua ratione putrefacientia, inflammantiaque venena certis adstringentibus mixta, & destillata desperatas excitant anginas, nullam veneni speciem præferentes,

soloque lacte ad continuam oris collutionem curabiles. Quamobrem dubitari non debet, dari venena ad tempus, multaque hujusmodi spontè provenire, & multò plura confici posse, eadem methodo, qua salubrium pharmacorum compositiones absolvuntur, fueruntque cadentis Romanæ Reip. temporibus homines tam improbi. Horus Mendesius, Heliodorum Atheniensis & multò ante illos, Orpheus Theologus, & Aratus, qui venenorum compositiones, non ad artis ostentationem, sed veluti odio humani generis irritati in exitium illius descripserint, quorum scelesta opera, maximo temporis beneficio, & posteritatis bono perierunt. Quod si aliqua dantur venena non acria, & erodentia, neque inflammantia, aut putrefacientia, quæ moderata frigiditate, validaque siccitate ventriculum, cui fortè adhæreant, afficere possint, atque adeo nativum ejusdem calorem sensim hebetare, humidumque, aut ajunt, radicale lentè absumere, talia omnium lentissima fore, arbitror, quippe quæ mediante ventri-

triculi marcore totum corpus extenuant, extremaque macie tandem consumunt: Tale falsò creditur esse Adamantis pulvis, quem non modò innoxium esse multorum experientiis abundè hactenùs est compertum, sed etiam venenis omnibus strenuè auxiliari contendunt non infimæ notæ scriptores, & in rerum naturalium observationibus solidè versati.

An omnium venenorum in Corpore latentium dentur certa signa, aut saltem probabiles conjecturæ.

CAP. III.

CUm actio corruptiva, quà venenum naturæ vim infert, sanitati magis adversatur, quàm ulla res, qua corpus è statu valetudinis deturbatur, necessarium fortasse videbitur, ut in ea corporis violenta mutatione aliquæ efflorescant notæ, quibus maligna causa non obscurè de-

deprehendatur. Hæc enim popularis opinio è trivio ad forum delata, omnium ferè Judicum animis firmitèr jam insedit, ut etiam eorum, qui veneficio extincti existimantur cadavera, Medicis exploranda committantur ad detegendam mortis causam, quasi venenorum indicia non solùm ægritudinis tempore manifesta sint, sed etiam post interitum impressa corpori relinquantur. Attamen longè alitèr se res habet, maximaque venenorum pars etiam in arte medica versatissimis occulta est, non solùm quo tempore veluti consopita parùm agunt, aut nihil, sed etiam quando corrumpunt partem ipsam, cui sunt contraria, multoque magis postquam vita jam expugnata omnis veneni, naturæque actio cessavit. Nam à symptomatibus potissimum venenorum signa desumuntur, actione læsa, excretis, & mutata corporis qualitate, inter quæ nullum est læsionis genus quod ab alia causa pendere non possit. Siquidem generantur venena in nobis, quæ pro vario ad varia membra motu, eorum actiones miris modis

dis vitiant; & non raro momento ferè temporis homines è medio tollunt, quorum corpora post mortem, aut livent, aut nigricant, aut varia fiunt, aut citò diffluunt, vel molestam putredinem olent teste Gal. 6. *de loc. affect. cap.* 5. quæ eidem accidentia corpori adveniunt, cum ob internam humorum, partiumque corruptionem, tum ob incredibilem colorum varietatem, quæ lienis, jecorisque vitio absque externi veneni offensa, in humoribus efflorescit, eodem Gal. auctore 5. *de loc. aff. cap.* 7. ut propterea illorum sententiam amplecti vereatur, qui certam assumpti veneni conjecturam esse ajunt, si homo natura probis humoribus abundans, ac sanorum more educatus, repentè moriatur, statimque liveat, nigricet, versicolor efficiatur, diffluat, graviterque oleat. Nam etiam in sanis, vel retento alicubi necessariò alicujus materiæ affluxu, vel ob pravum victum, pessimum quid generari potest, cujus exiguum initium nulla nota deprehenditur, donec tractu temporis aucta in corpore dispositione trahitur in con-

consensum aliqua principalium partium, à qua deinde universum corpus celeriter alteratur. Quod si nulla impedita rei inutilis excretione, atq; perspiratione jam dicta repentè contigerent homini proba temperie prædito, optimisque cibis, qua decet moderatione vescenti, talem assumpto veneno extinctum esse ratio convinceret.

Verùm enim verò quamquam venenorum intùs genitorum effectus similes sint iis, qui ab assumptis, vel admotis proficiscuntur, est tamen longè major affinitas venenorum sponte necantium, & externorum putrefacientium, quàm aliorum inflammantium, exinguentium, & erodentium, quæ probabilibus conjecturis hoc ipso cognoscuntur, quòd citò agunt post assumptionem, vixque aliquot horarum spatio retardari possunt; alioquin nullum damnum inferentia, quod ab aliis internis causis longiori tempore afferri non queat: Qui autem sint communiores venenorum, pro generum varietate, effectus, imò, quid singulæ eorumdem spe-

species præstent, legi potest apud Arduynum.

Porrò quemadmodum effectuum similitudo assumptum venenum celat, ita assumptio ipsa variis fraudibus à veneficis occultantur, in quas animum, oculosque diligenter intendat, qui periculum infectionis vitare cupit.

Aridi pulveres acres, & mordaces vel aromaticis speciebus adulterantur, vel dulcium societate temperantur.

Fœtida odoratis occultantur.

Sales, oleaque ex plantis, & animalibus chymicè conflantur vulgaribus condimentis, quàm simillima, inficiuntur pocula stillatitiis aquis, sed non vulgari ratione præparatis, Tales enim pro excessu qualitatis in temperamento vincentis calefaciunt quidem, ac refrigerant, verè tamen veneni naturam non acquirunt, cùm vulgari destillatione tenues partes separentur a terrenis, atque adeò totius temperamenti proportio, sine qua propriè venenum naturam retinere suam nequit, dissolvatur. Quam ob

cau-

causam nulla vulgari destillandi modo aqua evasit unquam, aut venenata, aut purgans, quandoquidem purgatrix facultas uti & venefica non in unius qualitatis excessu, sed in totius temperamenti energia consistit. Ac venenatis quidem aquis, & oleis infici puto acies, apicesque cultrorum, quibus lethiferi boli porriguntur, sicuti certum est, strophiola, indusia, chirothecas, aliaque indumenta aptis liquoribus perfusa, & delibuta, venenum facilè communicare corpori, postquam ejus contactu incaluerint. Quid plura? Tot sunt venenorum occultandorum modi, ut veneficorum fraudes etiam ab oculatissimo cognosci vix possint, nullumque adversùs svenena tutius præsidium hactenus inventum sit, quàm inter amicos conversari, & frequenti Alexipharmacorum usu seipsum probè communire. Quis enim crederet, nisi docuisset eventus literis scriptis, & adhuc manentibus inspergi posse tam pestiferos pulveres, ut epistola religata legentem interimat, si propius admoveatur? Sed & jucundissimi florum halitus

tus veneno inficiuntur sæpè instillatis aquis in gemmantem florem, donec explicetur; & candelarum elychnia tam diro pharmaco inquinantur, ut emissus inde fumus, cubilium aerem pestiferum reddat, adeò nihil tutum esse potest, ubi invidia hominum malignitatem dolo acuerit.

De Venenorum differentiis.

CAP. IV.

REliquum est, ut venena recenseamus, non illa quidem Composita, quæ ad hominum perniciem olim excogitata, atque literarum monumentis consignata, nunc temporis oblivione deleata sunt, quorum ego me ignarum esse gaudeo, sed Simplicia, quae sua spontè proveniunt, & vel consilio vitari, vel arte curari possunt. Bifariam ergò dividuntur pro partium, quas corrumpunt, & corrumpentis facultatis varietate; Ratione corporis, quod patitur à veneno, si consideremus universùm animantium genus, venenum dicemus aliud esse tale

tale ſimpliciter, quod adverſatur toti generi animalium, uti aconitum; aliud ſecundum quid, quod certæ animalium ſpeciei eſt noxium, alteri innoxium, uti atriplex ſylveſtris, pes anſerinus dictus, quod ſues enecat, alia animalia nutrit; & nux vomica, canibus exitialis, homini nequaquam; illud genericum, iſtud ſpecificum venenum claritatis gratia nuncupetur. Si membra ipſa corporis ſpectemus, alia ſunt venena cordi, alia cerebro, alia hepati, alia pulmonibus, alia aliis partibus, in quas veneni actio primò graſſatur, & inde cordi communicatur.

Cerebro in primis adverſantur, quæ hominem in perpetuum dementant, tum quæ exceſſu frigiditatis ſoporem inferunt.

DEMENTANT.

Cocculæ orientales.
Ericæ bacciferæ Fructs devorati.
Felis cerebrum, & ſanguis.
Lolium copioſum.
Medulla arietis non caſtrati.
Sanguis menſtruus corruptus.

Stra-

Stramonium utrumque sed præsertim longum, cui semen inest nigricans.
Solanum maniacum.
Vespertilionis cor, & lingua.
Ursique cerebrum in cibis: nec non,
Morsus Tarantulæ, &
Canis rabidi: denique
Argentum vivum auribus instillatum

SOPOREM INDUCUNT.

Cicuta vulgaris.
Cicutaria minor.
Coriandri succus.
Dorycbnium.
Hyoscyamus uterque sed magis niger.
Mandragora.
Meconium.
Opium.
Papaver sativum copiosè sumptum.
Solanum somniferum.
Huccæ Americanæ succus.

Cordi præcipuè infesta sunt venena propriè dicta, de quibus infra, paucissimis exceptis: Inter quæ *Lepus marinus* pulmones potissimùm afficit.

Jecur verò,
Viperæ fel, & morsus.
Morsus item *Hæmorrhoi.*

Sa-

Salamandræ caro.

Toxicum Scytharum, & Pharicum.

Quæ duo postrema venenatis potius armis inficiendis, quàm interna sumptione lethifera sunt, & sola inter composita venena apud scriptores leguntur.

Ad toxicum conficiendum eligebant Scythæ viperas enixas, vasique inclusas, in saniem contabescere sinebant, tum sanguinem humanum affundebant ad supereminentiam quatuor digitorum, iterumque putrescere in fimo permittebant, denique ichorem supernatantem colligebant sanguinis ad telorum infectionem.

Pharicum verò est succus radicis ellebori albi in bubulo cornus asservatus, donec putrescat, quo Pyrenei accolæ sagittas imbuebant ad venationem. His enim læsa fera statim concidit, absque illius damno, qui carnem vulnerati loci comederit.

Ventriculo, & intestinis maximè officiunt impropriè venena, quæ, vel manifestis agunt qualitatibus, de quibus mox dicetur, vel superpur-

ga-

gatione mortem adferunt, qualia sunt omnia validiora purgantia assumpta majori quantitate, quàm ad tolerabilem vacuationem conveniat, vel exhibita corpori languidiori, uti puero, seni, convalescenti, & acuto morbo laboranti.

Altera venenorum divisio ratione facultatis, qua agunt, celebrior est apud scriptores. Vel enim excessu alicujus qualitatis corrumpitur corpus, vel veneficæ naturæ contrarietate, seu totius temperamenti proportione repugnante vitiali temperamento corporis. Priora dicuntur impropriè venena, & venena quantitate, quia tota natura non sunt inimica vitæ, sed mole tantùm, & qualitatis intemperie dominantis excessu.

Posteriora dicuntur propriè venena, item venena genere, & à tota substantia, quia nulla sui parte convenientiam habent cum natura viventis, sed illam totis viribus oppugnant.

Impropriè venena latè patent. Quædam caliditate sua viscera inflam-

flammant, quædam frigitate extinguunt; quædam humiditatis affluxu suffocant; quædam siccitate marcorem inferunt: alia secundis agunt qualitatibus, acrimonia cum crassitie partium erodendo, tenui mordacitate impense stimulando, nimia adstrictione necessarios meatus occludendo, unde suffocationes, & volvuli fiunt.

INFLAMMANT.

Anacardi.
Buprestis.
Cantharides renibus, & vesicæ potissimùm infestæ.
Camædaphne.
Chamelæa.
Crocus liberaliter sumptus.
Daphnoides
Dracunculi semen.
Euphorbium.
Flammula Jovis, & quæcunque aliæ clematides hujus generis.
Lathyris, vulgò cataputia,
Mel Heracleoticum.
Myrrha largiùs sumpta.
Pancratium Hispanicum, cujus affri-

ctu

ctu infici, ajunt, cultros.
Psyllii seminis pars intima.
Ranunculus quicunque, excellit autem inter ranunculos herba Sardonia, quæ diaphragma inflammat, et continuo risu inde excitato hominem ridentem necat.

Adde jam dictis.

Scillam crudam.
Staphisagriam.
Thapsiam.
Thymeleam.
Tithymalum.
Lac ficulneum.
Ictus apum, et vesparum.

CALOREM NATURALEM
extinguunt.

Præteriam recensita soporifera.
Flos Africanus, vulgò caryophyllus Turcicus.
Herba Paridis, et
Aqua gelida ubertim hausta sudante corpore.

HUMIDITATE
Flatulenta suffocant.

Carnes calentes refrigeratæ inter duas patinas arctè connexas.
Colchilum lethale dictum ephemerum,

quia unius diei spatio interficit.
Fungi perniciosi.
Lac in ventre concrescens.
Pisces calentes suffocati.
Sanguis taurinus calens epotus, &
Plumbi scobs.
Hùc pertinet glans plumbea inuncta, vel involuta larido salito, quia partes vulneratas pingui humiditatis adhæsu citò putrefacit.

SICCITADE NECANT.

Antimonium crudum,
Cerussa.
Ferri scobs, & Scoria lota.
Lapis Magnes.
Lithargyrum, à quo fit volvulus.
Minium factitium.

PRODUNT VERO exulcerantque.

Aerugo,
Aeris squamma.
Argentum vivum præcipitatum.
Argentum vivum sublimatum.
Arsenicum cryst all. album.
Arsenicum cryst all. luteum vulgo Risagallo.
Arsen. crystal. rub. vulgò Realgar.
Auripigmentum.

Cam-

Campanarum scobs derasa.
Calx viva.
Chalcantum, maximè ustum.
Chalcitis.
Cinnabaris factitiæ.
Minium fossile.
Melanteria.
Misy. *Sory.*
Viride æris.
Sal plumbi.
Sanguis serpentum.
Aqua fortis.
Oleum vitrioli, & Antimonii.

QUÆ MORDACITATE
Nimia Partes irritant.

Ut plurimum choleram excitant, nimirum.

Ova barbatuli piscis, præsertim mense Majo.
Chrysocolla fossilis non lota.
Elleborus albus.
Lapis Armenus]
Cyaneus.] *non præparatus.*
Genistæ semen,]
Sudor quadrupedum.
Aqua stillaticia radicis salicis perticalis.

Adſtrictione Lethalia ſunt.

Gypſum uſtum.

Ilicis ſcobs, &

Herbæ *bella dona* dictæ radices, nec non baccæ.

Propriè venena, quorum vi cordi infeſtiſſima calor influens in primis diſſolvitur, vitaliſque facultatis tonus evertitur, pluvima ſunt; quorum magna pars Europæ eſt incognita. Extillant enim ex africanis arboribus non deſcriptis, quædam lacrymæ oleoſæ pernicioſiſſimæ, quibus Mauritani Reges vindicias agunt. Immò totam illam oram Oceani Athlantici, quæ à perpetua viriditate arborum Caput viride à Navarchis appellatur, adeò refertam nunciant venenatis ſtirpibus, ut quoquot amœnitate loci allecti eò appulerunt, terræ luſtrandæ gratia, guſtatis obviis herbis, & fructibus è veſtigio conciderint; omitto rabidorum animalium ſpumas, quas Nigritani venefici venationibus quærunt ad vicinorum populorum perniciem. Fera enim animalia, quo tempore veneris œſtu exardeſcunt, facilè in rabiem vertuntur,

ac-

accedente ira, & labore, ex venatorum insectatione, nihiloque meliorem spumam ore concipiunt, quàm rabidi canes, quorum veneno, fiagendi moram excipiamus, nescio, an nullum aliud sit perniciosius.

Nobis autem cognita sunt, quæ sequuntur.

EX PLANTIS.

Aconitum.
Agaricus niger.
Apocynum.
Azadarach. Avic, vulgò *sycomorus.*
Chamæleon niger.
Ixia.
Napellus.
Opocalbasum, seu Myrrha venenata.
Papaver corniculatum.
Taxus arbor.
Thora Vvaldensium.
Nux Faufel Arabum, & Araca ejus arbor.

EX ANIMALIBUS.

Aranea.
Bufo ejusque stillat.
Oleum, et spuma.
Canis piscis fel.
Castoreum corruptum.

Eruca pini.
Fœniculi umbellis ingeniti virides vermiculi.
Pardi fel.
Rubeta rana.
Tigridis pili.

Hujusmodi venena instillantur quoque ictibus.

Scorpionis marini, & terrestris.
Draconis marini.
Pastinacæ marinæ.

Præterea morsibus.

Aspidis.
Ammoditæ.
Acontiæ.
Basilisci:
Cerastæ.
Cenchryos.
Dryini.
Dipsadis.
Natricis: sunt hæc genera serpentum.
Crocodili.
Lacertæ Chalcidicæ.
Muris aranei.
Mustellæ.
Scolopendræ.
Stellionis, omniumque rabidorum animalium.

At-

Atque jam dictis potentia non cedunt jecoris venena antea proposita.

Inter FOSSILIA reponerem adamantem, nisi me Cardani auctoritas, Skenkii experimenta, & Garziæ ab Orto historiæ in aliam deducerent sententiam reponentem nobilissimam hanc gemmam inter ea, quæ veneno infectis corporibus opitulantur.

Habes igitur, optimè lector omnium venenorum censum, in quo si Titulos attentè advertas, facilè colliges particularium venenorum effectus, quos ideò subticui, ne tractationis minimè necessaria prolixitas tædium aliquod tuis curis aspergeret.

Restant consideranda venenorum remedia, in quorum providentia non minùs benignè fuit nobiscum natura parens, quam in venenorum procreatione illiberalis, & malignitatis specie noverca.

De Alexipharmacis.

CAP. V.

QUæ venenis adverſantur Antidota, & Alexipharmaca ab effectu appellantur. Non omnia tamen, quæ venenatis proſunt, illis nominibus intelliguntur. Cum enim ob aſſumpti veneni ſuſpicionem curatio inſtituitur, variis opus eſt præſidiis, quorum alia venenum vacuant, alia partes roborant, quæ veneno afficiuntur, nimirum, ut illius actioni validiùs reſiſtant, omnemq; noxam expultricis ope procul arceant, alia denique inchoatam à veneno corruptionem emendant, & contraria qualitate corpus alterant, inque priſtinum ſtatum reſtituunt, quæ ſola alexipharmaci nomen propriè ſibi vindicant, quia veneficam qualitatem primaria virtute infringunt. Roborantia verò, & vacuantia non ſunt venenis per ſe contraria, cum multis aliis morborum cauſſis expugnandis conferant, & veneni alterationem ex accidenti

denti impediant, quemadmodum faciunt quoque illa, quæ venenatis ictibus, & morsibus admoventur ad veneni retractionem, ne per communia vasa ad principalium partium aliquam perveniat, ibique suam vim exerat. Quanquam negari non debet, magnam propriè Alexipharmacis intercedere affinitatem cum Roborantibus, & præsertim cardiacis; quia hoc ipso, quod veneni actionem vitæ inimicam strenuè oppugnant, partem, quæ à veneno patitur, necessariò corroborant, convenientia quadam, & similitudine temperamenti, cujus causa utrumque, Alexipharmacum scilicet, & membrum vivens cum veneno simultatem gerit, totaque, ut ajunt, substantia colluctatur.

Ne tamen hinc inferat quispiam, eamdem esse debere proportionem temperamenti partis viventis, & Alexipharmaci, si verum est venenum toto temperamento, & contrarietatis ratione illis adversari, cum inter duo extrema tantum versetur contrarietas, atque adeò unum non possit pluribus esse contrarium. Sciendum

eſt, proportionem totius temperamenti, quæ eſt fundamentum convenientiæ, ac diſſenſionis jam memoratorum agentium, non eſſe ſpectandam penès exquiſitam menſuram quantitis, & qualitatis elementorum in mixti temperatione coaleſcentium, ſed penès latitudinem temperamenti ſpecifici, quod unicuique generi proprium ineſt; Quia igitur proportio temperamenti venenati continetur extra latitudinem temperamenti ſpecifici viventis, adeo ut intra illius proportionis latitudinem vita ſervari nequeat; dicitur venenum toto temperamento adverſari corpori; licet inter proportionem noſtri temperamenti, & complexionis veneficæ non ſit exquiſita cōtrarietas ratione graduum oppoſitarum qualitatum, & quantitatum elementarium.

Eadem ratione medicamenta Roborantia, & Alexipharmaca toto temperamento, & naturæ ſimilitudine cum viventibus partibus convenire dicuntur, quia intra latitudinem temperamentorum illis congruentium conſiſtere poteſt proportio temperamenti

menti vitalis, quod proinde illorum actionum conservatur, licèt specie à se invicem differant. Imò longè major est alimenti cum vivente corpore convenientia, & similitudo, quam cujusquam medicamenti, quod in viventis substantiam nullo pacto converti potest, & tamen alimentum specifico temperamento actu differt à temperamento partium viventium, sed potentia est quam simillium; quia ob exiguam utriusque temperamenti disconvenientiam unum in alterum facilè commutatur.

Ex his colligitur duplicem esse alexipharmaci actionem. Alteram in venenum, ratione dissimilitudinis, & contrarietatis, alteram in corpus ratione similitudinis, & convenientiæ: agit in venenum corrumpendo, & lethiferam ejus vim extinguendo, unde ridiculum est Averrh. commentum existimantis, Alexipharmaca tutò non assumi, nisi quando venenum actu latens in corpore illius virtutem exercet, alioquin absente veneno dissolvi calidum innatum actione Alexipharmaci non reperientis ve-

quia unius diei spatio interficit.

Fungi perniciosi.

Lac in ventre concrescens.

Pisces calentes suffocati.

Sanguis taurinus calens epotus, & Plumbi scobs.

Hùc pertinet glans plumbea inuncta, vel involuta larido salito, quia partes vulneratas pingui humiditatis adhæsu citò putrefacit.

SICCITADE NECANT.

Antimonium crudum.

Cerussa.

Ferri scobs, & Scoria lota.

Lapis Magnes.

Litbargyrum, à quo fit volvulus.

Minium factitium.

PRODUNT VERO exulcerantque.

Aerugo.

Aeris squamma.

Argentum vivum præcipitatum.

Argentum vivum sublimatum.

Arsenicum cryſtall. album.

Arsenicum cryſtall. luteum vulgo Risagallo.

Arsen. cryſtal. rub. vulgò Realgar.

Auripigmentum.

Campanarum scobs derasa.
Calx viva.
Chalcantum, maximè ustum.
Chalcitis.
Cinnabaris factitiæ.
Miniam fossile.
Melanteria.
Misy. *Sory.*
Viride æris.
Sal plumbi.
Sanguis serpentum.
Aqua fortis.
Oleum vitrioli, & Antimonii.

QUÆ MORDACITATE
Nimia Partes irritant.

Ut plurimum choleram excitant, nimirum.

Ova barbatuli piscis, præsertim mense Majo.
Chrysocolla fossilis non lota.
Elleborus albus.
Lapis Armenus]
Cyaneus.] *non præparatus.*
Genistæ semen,]
Sudor quadrupedum.
Aqua stillaticia radicis salicis perticalis.

Adſtrictione Lethalia ſunt.

Gypſum uſtum.

Ilicis ſcobs, &

Herbæ *bella dona* dictæ radices, nec non baccæ.

Propriè venena, quorum vi cordi infeſtiſſima calor influens in primis diſſolvitur, vitaliſque facultatis tonus evertitur, plurima ſunt; quorum magna pars Europæ eſt incognita. Extillant enim ex africanis arboribus non deſcriptis, quædam lacrymæ oleoſæ perniocioſiſſimæ, quibus Mauritani Reges vindicias agunt. Immò totam illam oram Oceani Athlantici, quæ à perpetua viriditate arborum Caput viride à Navarchis appellatur, adeò refertam nunciant venenatis ſtirpibus, ut quoquot amœnitate loci allecti eò appulerunt, terræ luſtrandæ gratia, guſtatis obviis herbis, & fructibus è veſtigio conciderint; omitto rabidorum animalium ſpumas, quas Nigritani venefici venationibus quærunt ad vicinorum populorum perniciem. Fera enim animalia, quo tempore veneris œſtu exardeſcunt, facilè in rabiem vertuntur, ac-

accedente ira, & labore, ex venatorum insectatione, nihiloque meliorem spumam ore concipiunt, quàm rabidi canes, quorum veneno, si agendi moram excipiamus, nescio, an nullum aliud sit perniciosius.

Nobis autem cognita sunt, quæ sequuntur.

EX PLANTIS.

Aconitum.
Agaricus niger.
Apocynum.
Azadarach. Avic, vulgò *sycomorus.*
Chamæleon niger.
Ixia.
Napellus.
Opocalbasum, seu Myrrha venenata.
Papaver corniculatum.
Taxus arbor.
Thora Vvaldensium.
Nux Fausel Arabum, & Araca ejus arbor.

EX ANIMALIBUS.

Aranea.
Bufo ejusque stillat.
Oleum, et spuma.
Canis piscis fel.
Castoreum corruptum.

Eruca pini.

Fœniculi umbellis ingeniti virides vermiculi.

Pardi fel.

Rubeta rana.

Tigridis pili.

Hujusmodi venena instillantur quoque ictibus.

Scorpionis marini, & terrestris.

Draconis marini.

Pastinacæ marinæ.

Præterea morsibus.

Aspidis.

Ammoditæ.

Acontiæ.

Basilisci:

Cerastæ.

Cenchryos.

Dryini.

Dipsadis.

Natricis: sunt hæc genera serpentum.

Crocodili.

Lacertæ Chalcidicæ.

Muris aranei.

Mustellæ.

Scolopendræ.

Stellionis, omniumque rabidorum animalium.

At-

Atque jam dictis potentia non cedunt jecoris venena antea proposita.

Inter FOSSILIA reponerem adamantem, nisi me Cardani auctoritas, Skenkii experimenta, & Garziæ ab Orto historiæ in aliam deducerent sententiam reponentem nobilissimam hanc gemmam inter ea, quæ veneno infectis corporibus opitulantur.

Habes igitur, optimè lector omnium venenorum censum, in quo si Titulos attentè advertas, facilè colliges particularium venenorum effectus, quos ideò subticui, ne tractationis minimè necessaria prolixitas tædium aliquod tuis curis aspergeret.

Restant consideranda venenorum remedia, in quorum providentia non minùs benignè fuit nobiscum natura parens, quam in venenorum procreatione illiberalis, & malignitatis specie noverca.

De Alexipharmacis.

CAP. V.

QUæ venenis adversantur Antidota, & Alexipharmaca ab effectu appellantur. Non omnia tamen, quæ venenatis prosunt, illis nominibus intelliguntur. Cum enim ob assumpti veneni suspicionem curatio instituitur, variis opus est præsidiis, quorum alia venenum vacuant, alia partes roborant, quæ veneno afficiuntur, nimirum, ut illius actioni validiùs resistant, omnemq; noxam expultricis ope procul arceant, alia denique inchoatam à veneno corruptionem emendant, & contraria qualitate corpus alterant, inque pristinum statum restituunt, quæ sola alexipharmaci nomen propriè sibi vindicant, quia veneficam qualitatem primaria virtute infringunt. Roborantia verò, & vacuantia non sunt venenis per se contraria, cum multis aliis morborum caussis expugnandis conferant, & veneni alterationem ex acci-

denti

denti impediant, quemadmodum faciunt quoque illa, quæ venenatis ictibus, & morsibus admoventur ad veneni retractionem, ne per communia vasa ad principalium partium aliquam perveniat, ibique suam vim exerat. Quanquam negari non debet, magnam propriè Alexipharmacis intercedere affinitatem cum Roborantibus, & præsertim cardiacis; quia hoc ipso, quod veneni actionem vitæ inimicam strenuè oppugnant, partem, quæ à veneno patitur, necessariò corroborant, convenientia quadam, & similitudine temperamenti, cujus causa utrumque, Alexipharmacum scilicet, & membrum vivens cum veneno simultatem gerit, totaque, ut ajunt, substantia colluctatur.

Ne tamen hinc inferat quispiam, eamdem esse debere proportionem temperamenti partis viventis, & Alexipharmaci, si verum est venenum toto temperamento, & contrarietatis ratione illis adversari, cum inter duo extrema tantum versetur contrarietas, atque adeò unum non possit pluribus esse contrarium. Sciendum

est, proportionem totius temperamenti, quæ est fundamentum convenientiæ, ac dissensionis jam memoratorum agentium, non esse spectandam penès exquisitam mensuram quantitis, & qualitatis elementorum in mixti temperatione coalescentium, sed penès latitudinem temperamenti specifici, quod unicuique generi proprium inest; Quia igitur proportio temperamenti venenati continetur extra latitudinem temperamenti specifici viventis, adeo ut intra illius proportionis latitudinem vita servari nequeat; dicitur venenum toto temperamento adversari corpori; licet inter proportionem nostri temperamenti, & complexionis veneficæ non sit exquisita cõtrarietas ratione graduum oppositarum qualitatum, & quantitatum elementarium.

Eadem ratione medicamenta Roborantia, & Alexipharmaca toto temperamento, & naturæ similitudine cum viventibus partibus convenire dicuntur, quia intra latitudinem temperamentorum illis congruentium consistere potest proportio tempera-

menti

menti vitalis, quod proinde illorum actionum conservatur, licèt specie à se invicem differant. Imò longè major est alimenti cum vivente corpore convenientia, & similitudo, quam cujusquam medicamenti, quod in viventis substantiam nullo pacto converti potest, & tamen alimentum specifico temperamento actu differt à temperamento partium viventium, sed potentia est quam simillium; quia ob exiguam utriusque temperamenti disconvenientiam unum in alterum facilè commutatur.

Ex his colligitur duplicem esse alexipharmaci actionem. Alteram in venenum, ratione dissimilitudinis, & contrarietatis, alteram in corpus ratione similitudinis, & convenientiæ: agit in venenum corrumpendo, & lethiferam ejus vim extinguendo, unde ridiculum est Averrh. commentum existimantis, Alexipharmaca tutò non assumi, nisi quando venenum actu latens in corpore illius virtutem exercet, alioquin absente veneno dissolvi calidum innatum actione Alexipharmaci non reperientis ve-

nenum, in quod agat; corrumpit enim alexipharmacum ratione contrarietatis, quæ cum nulla sit ipsi cum corpore vivente, cur etiam absente veneno illi officiat? Immò ratione convenientiæ prodest, vel maximè, & caloris naturalis robur adauget, & reddit vegetius, non modo ad excrementorum expulsionem, sed etiam ad Venenorum postea advenientium victoriam, ac propemodum contemptum, cum venenorum assumptione, vel contactu nihilo immutari videantur corpora frequenti Alexipharmacorum usu ante veneni occursum probè communita. Extat notissimum exemplum Mithridatis Regis, qui ob nimiam consuetudinem nobilis antidoti, cui nomen ab authore est inditum, sumpto veneno perire non potûit. Post tempora Mithridatis inventa sunt antidota cæteris omnibus æquiparanda, quorum usu etiam homines à venenis tutos reddi certum est. Apud Germanos vulgatissima sunt experimenta viperini pulveris, cujus unica sumptione à venenorum noxa multorum mensium spatio præservari

su-

ſumentem, ſæpè obſervatum eſt. Cæterum ea vis armandi corpora adverſus venenorum caſus convenit duntaxat propriis Alexipharmacis, minimè verò impropriis, quæ veneni manifeſtæ qualitatis exceſſu corrumpentis actioni repugnant. Hæc enim calidum innatum non corroborant, nullamque habent cum corpore majorem convenientiam, quam alia quæcunque medicamenta alterantia, ac proindè tunc ſolum juvant, quando venenum excellenti qualitate corpus immutans offendunt. Quæ autem ſint propria, & impropria alexipharmaca inquiri diligentiùs non poteſt, quam revocatis in memoriam venenorum differentiis, quibus oppoſita ſunt alexipharmaca. Contrariorum enim oppoſitam eſſe rationem inter Philoſophos nemo negat. Duo itaque alexipharmacorum genera ſtatui neceſſe eſt, agentium ſcilicet manifeſtis qualitatibus in temperamento excedentibus, & agentium occulta qualitate, .i. toto temperamento, cujus proportio nobis eſt occulta: Illa impro-

propriè, iſta propriè alexipharmaca nuncupantur; Utraque rurſum duplicia ſunt, generica ſcilicet, ſeu communia, quæ omnibus venenis ejuſdem generis adverſantur, & ſpecifica, ſeu propria, quæ particularibus venenis ſingulariter conferunt; licet aliis quoque non ſegniter auxilientur.

Quod ſi agendi modum, quo impropriè alexipharmaca venenum oppugnant, conſideremus, duas præterea illorum differentias reperiemus. Siquidem alia qualitatis contrarietate per ſe agunt, qua ratione refrigerantia alexipharmaca conveniunt venenis inflammantibus calorifica extinguentibus, Humectantia ſiccantibus, ſiccantia humectantibus, epicerastica mordicantibus, emplaſtica erodentibus, laxantia aſtringentibus, ideoque minus impropriè alexipharmaca dici merentur; alia per accidens opitulantur, non contraria, ſed diverſa facultate, ſuntque magis impropriè alexipharmaca; in quo genere recenſentur roborantia calorem innatum partis veneno affectæ, &

po-

potiſſimum cordis; vacuantia venenum, tum ſenſibiliter per vomitum, alvum, urinam, ſudorem, ſcarificationem, tum per inſenſibilem tranſpirationem, denique attrahentia venenum à centro corporis ad circumferentiam, quæ morſibus, & ictibus venenatis inſigne præſtant emolumentum. Trahitur venenum tripliciter; Primò vi caloris, à quibuſcunque medicamentis intensè calidis, partiumque tenuium, qualia ſunt, quæ rubificantia, & veſicantia vocantur: Aiunt raphanum diſſectum ſub alis detentum trahere ad ſe venenum aſſumptum, ac ſi deindè comedatur eſſe exitiale venenum; Secundò, vi vacui, quam infert cucurbitula cum magna flamma, item ſuctio, qua Phylli, & Marſi populi ipſi à venenis immunes ſerpentum morſus olim perſanabant.

Tertiò à propria facultate, quàm habet omnium animalium venenatorum caro, reſpectu ſui veneni, quo hominem afficiunt, ideò contuſa animalis caro, quod morſu, vel ictu læſerit, plagæ admota, pro-

prium

prium virus ad se revocat, ob simpatiam, quam cum ipso habet.

Propriè Alexipharmaca communia desumpta à Plantis sunt ista.

AMmi.
Angelicæ utriusque radix, & semen.
Anthoræ radix.
Anisi semen.
Aristolochiæ longæ, & rotundæ radix.
Aromata omnia.
Baccharis radix.
Bdellium.
Bistortæ radix.
Borrago.
Buglossum.
Boni Henrici succus.
Brassicæ semen.
Carduus benedictus.
Carlinæ radix.
Caryophylleus flos.
Cordiaca herba
Coronophus Matth.

Con-

Contrayerua.
Consolidæ regalis flores.
Cruciata.
Cuminum.

Cyanus (major.
(minor.

Dictammi albi radix.
Drakenæ radix.
Elleborina.
Ericæ flos, & coma.
Eryngii radix.
Fungi cervini pulvis è vino.
Galega, seu ruta capraria.
Glandin querc. decocti è vino.
Gentianæ mai. radix.
Helenii, seu enulæ campanæ rad.
Hedysari semen.
Hypericon.
Imperatoriæ radix.
Iridis domesticæ radix.
Irionis semen.
Laserpitium.
Ligustici radix, & semen.
Lignum Moluccense à gr. iii. ad x. sumptum.
Malum citrium.
Mentastrum.

Myr-

Myrrha non ultra ℥ i bibita.
Napi semen.
Ononis lutea.
Personatæ succus cum vino haustus.
Platani pilule seminibus prægnantes.
Pimpinellæ, Saxifragæ radix, & semen.
Polemoniæ radix.
Polium.
Rapi semen.
Ruta.
Scordium.
Scorzonera.
Smilacis asperæ acini.
Sparganii.)
Tormentillæ)
Vallerianæ min.) radix.
Vincetoxici.)
Unifolii.)

AB ANIMALIBUS.

CAstoreum.
Cornu Cervi maximè primæ cuspides.
Corna asini Indici
Cornu monocerotis, vulgò unicornu

nu Rhinocerotis.
Coagulum leporinum.
Gallorum gallinaceorum cerebrum ex vino haustum.

	(Orientalis
Lapi. bezoar	(
	(Occidentalis.

Lachryma in cervi oculo arescens.
Numia.
Mustellæ salitæ, & in umbra siccatæ pulvis.
Phasiani caro recens, & arefacta.

A FOSSILLIBUS.

Bolus Armena.
Ebur fossile.

Lapis ophites, ex quo parantur vasa ad asservandam aquam, magnæ contra venenum efficaciæ.

Lapis Paxar Tartarorum, qui mollis est, & fuscus amygdali ferè forma, & quantitate.

Smaragdus.

	(Lemnia,
Terra	(Melitensis,
	(Silesiaca.

Ex his varia celebrantur à veteribus,

busf, & recentioribus composita antidota, inter quæ excellunt.

Theriaca (Diatessaron. (Andromachi.

Mithridatica confectio.

Elect. de quo Maximil. Imperat.

Pulvis Saxonicus à Vveckero descriptus.

Pulvis viperinus, cujus triplex circumfertur descriptio, pari encomio decantata.

1 Proponitur à Quercet. in pharmacopœa sua dogmatica restituita nomine confectionis viperinæ juniperinæ.

2 Traditur à Crollio in sua Basilica chymica.

3 Est hujusmodi, sumuntur, cor, hepar, & tres primæ vertebræ viperæ, exsiccantur in furno lentissimo calore, quoad in pulverem teri possint, misceatur pulveri tertia pars radicis imperatoriæ, vel quarta pars zedoariæ, & reponatur in vasculo, ejusque dosis est drach.i. singulis mensibus assumenda, vel longiori temporis intervallo.

Pro-

Propria alexipharmaca ſpecifica tàm latè patent, quàm venena, quibus cpponuntur. Si ergò ſpectemus venena deſumpta.

AB ANIMALIBUS.

Bufonis, & rubetæ Antidotum eſt.

ARundinis radix.
Lapis Bufoneus.
Smatagdi pulvis.

Bupreſtis, & Erucæ Pini.

Caricæ.
Dactyli.

Ol. (Irinum) ( ) (Mellinum) potum.

Cantharidum.

Ammi ſemen.
Nuclei pinei.
Terra Samia.

Caſtorei corrupti.

Coriandri ſemen uſtum.
Citri, & limonum ſuccus.

Cerebri Catti, & Urſi.

Moſcum.
Terra lemnia.

Me.

Medullæ arietis corruptæ.

Phasiani caro exsiccata.

Veneni caudæ cervi.

Ol. è sem. citri toti corpori illitum.
Nux avellana, ejusque oleum.
Pistacia.

Fellis Viperini.

Ambragrysea.
Mithridatica confectio.
Pastilli viperini.
Theriaca.
Ol. Scorpionum Matth.

Sudoris quadrupedum.

Rosarum pallidarum succus cum vino haustus.

Sanguinis menstrui.

Margaritæ.
Pastilli viperini.

Sanguinis, & Lactis concreti in Ventriculo.

Acetum scilliticum.
Brassicæ capitatæ semen.
Calamenthum montanum.
Coagulum vitulinum.
Chelidonii mai. succus.
Nitrum.
Oxymel.
Posca.

Thy-

Tyhmum.

Toxici.

Carpobalſamum.
Cotonea mala.
Cubebæ.
Galbanum.
Quercus cortex.
Quinquefolii radix.
Rapi ſemen.

	(Caninus)	
	(Caprinus)	frixus in
Sanguis	(Cervinus)	cibis ſum-
	(Hircinus)	ptus.
	(Leporinus)	

Tormentille radix.

Morſus Canis rabidi.

Alyſſum Galeni.
Ariſtolochiæ retundæ radix.
Bitumen judaicum ex aqua potum.
Cancrorum fluviatilium cinis.
Canis rabidi Hepar toſtum, & in cibis ſumptum.

	(Capraoli.
Coagulum	(Leporis
	(Vulpis.

Ciceris rubri decoctum.
Pimpinella communis.
Roſæ canine radix.

Ex-

Extrinsecus.

Fœniculi radix contusa.
Hippolapathi radix.
Personatæ radix cum sale trita.
Scorzoneræ radix.
Scordium.
Theriaca.
Mithridatica confectio
Triticum à jejuno masticatum.
Aliorum Quadrupedum rabidorum.

Extrinsecus.

Phaseoli à jejuno masticati.
Resina abjetina.

Morsus Viperini.

Anagallidis succus.
Bryoniæ radix.
Costus aromaticus.
Cervi genitale.
Ebuli radix ex vino decocta.
Fraxini)
) folia cum succis.
Iuniperi)
Ocymi semen.
Ranarum caro, & jus.
Sambuci radicis ex vino decoctum.
Theriaca.
Viperæ caro, pastilli, & sal.

Extrinſecùs.

Abrotanum.
Allium cum aceto tritum.
Galbanum.
Lauri folia.
Orobi farina cum vino ſubacta.
Origanum.
Ol. Scorpionum Matth.
Pix liquida.
Raphanus cum aceto tritus;
Scylla in aceto cocta.
Trifolium bituminoſum.

Morſus aſpidum.

Apri jecur, vel recens, vel exſiccatum.
Fœniculi ſemen.
Naſturtium.
Peoniæ radix, & ſemen.
Scorzoneræ ſuccus.

Extrinſecùs.

Angelicæ radix trita cum ruta.
Betæ nigræ ſuccus.
Centaurii min. ſuccus.
Ol. Scorpionum Matth.
Scabioſa recens contuſa.

Morſus hæmorrhoi.

Allium copioſè ſumptum.
Gobius piſcis cum allio ſumptus.

Vinum merax liberaliter haustum.

Morsus Cerastæ.

Raphani sativi semen.

Morsus scolopendræ.

Asphodeli radix, & semen.
Aristolochiæ utriusque radix.
Mentha sativa.
Serpillus.

Morsus Mustellæ.

Eruca sativa oleorum more cocta.
Vincetoxici radix.

Morsus muris aranei.

Cupressi recentes pilulæ ex aceto sumptæ.
Capparis cortex.
Verbenaca.

Morsus Phalangiorum.

Anisi semen.
Asparagi radix.
Atriplicis succus.
Hederæ succus.
Mori foliorum succus.
Nigellæ semen.
Trifolii semen.

Extrinsecùs.

Caprillum stercus.
Mulus piscis diffectus.

Mor-

Morsus Tarantulæ.

Eadem conveniunt, sed præ cæteris musica instrumenta, & continuæ saltationes, usque ad lassitudinem.

Ictus Vesparum, & Apum.

Malva contusa, & ad cataplasmatis formam punctu æ admota.

Ictus Draconis marini, Pastinacæ.

Eryngii radix.
Lauri rad. cortex.
Pastinacæ sylv. semen.
Rubi flores.
Salvia.
Smyrnium.

Extrinsecùs.

Animalia ipsa dissecta.
Acetum calens.
Fermentum acerrimum ex pice liquata.
Ocymum ex aceto coctum.
Sulphur.

Ictus Scorpionum.

Asphodeli semen, & flos ex vino.
Atriplicis succus.
Aristolochiæ rotundæ radix.
Avellanæ sylvestres.
Blitum ex vino coctum.
Citri semen.

Cyperi retundi radix.
Gentianæ majoris radix
Hippoſelini ſeme.
Lauri baccæ
Myrti ſuccus.
Mumia.
Serpillum.
Sonchi ſuccus.
Verbenaca.

Extrinſecus.

Amomum cum ocymo tritum.
Cochleæ tritæ.
Ficulneum lac
Galbanum.
Lacerta diſſecta.
Laſerpitium.
Meliſſa.
Mus domeſticus diſſectus.
Ol. Scorpionum.
Rutæ decoctum.
Scorpio contuſus.
Sapphirus admotus.
Vermes terreni triti.

EX PLANTIS.

Aconiti.

Abrotanum.
Aristolochia longa.
Balsamum orientale.
Coagulum hœdinum, & leporinum.
Origanum.

Cicutæ.

Amomum.
Cardamomum.
Castoreum.
Iridis radix.
Lauri folia.
Seseli Massiliense.

Colchici.

Castaneæ caro, & media tunica.
Dictamus Creticus.
Glandes quercus.
Polygoni succus.
Serpillum.

Colocynthidis.

Terra (Cimolia. (Lemnia.

Sardus lapis.

Chamelææ, & Thymelææ.

Origanum tostum.

Cyclaminis radicis.

Gentianæ maj. radix.
Lauri baccæ.

Elaterii.

Menthæ succus.

Fungorum venenatorum.

Allium.
Brassiccæ succus.
Melissa.
Nasturtium.
Porrum.
Raphani sativi succus.
Satureja.
Sinapi.
Theriaca ex aceto.
Vinum generosum cum pipere.

Hellebori albi.

Nympheæ flores.
Malum cydonium.

Hellebori nigri.

Absynthium vulgare.
Anisi semen.
Dauci semen.

Ixiæ.

Assa foetida.
Betæ albæ succus.

Re-

Resinæ Therebinthinæ.
Rutæ sylvestris semen.
Theriaca.

Papaveris corniculati, & opii

Assa fœtida.
Artemisiæ succus.
Castoreum.
Piper nigrum.
Ruta sylvestris.
Spiritus vini.

Napelli.

Ambra grysea.
Anthoræ radix.
Capparis radix.
Glandium putamina.
Moscus odoratus.
Lapis bezoar.

Muscæ depascentes flores napelli, quæ sunt cæteris majores, cœrulei coloris, neque alterius plantæ flores depascuntur. Ex quibus duo præstantissima antidota parantur, contra venena omnia, sed præcipuè contra præsentaneum napelli virus efficacissima.

Primum est apud Guainerium in suo tractatu de venenis.

℞. Terræ Lemn.

Bacc. lauri.
Mithridat. an. unc. ii.
Muscar. napelli N. xxiv.
Mellis, & ol. q. s. M.

Secundum est Petri Penæ, & Matthiæ Lobelii in suis Adversariis.

℞. Musc. napelli Num. xx.
Aristolochiæ.
Boli armen. an. drach. i.
Mellis q. s. ad efformandum Electuarium.

Hyosciami.

Allium.
Cæpa.
Castoreum.
Nori arboris cortex.
Raphanus sylv.
Ruta sylvestris.
Vinum absynthites.

Mandragoræ.

Coriandri semen.
Origanum creticum.
Pulegium sylvestre.

Rhododentri.

Agni casti semen.
Dactyli.
Fœnum Græcum.

Scam-

Scammonii.

Succus cydoniorum.

Solani Somniferi, maniaci, & Dorycnii.

Amygdalæ amaræ.

Conchylia, omnia, seu cruda, seu cocta.

Squilla piscis.

EX FOSSILIBUS.

Arsenici.

Cryſtallus in pulverem tritus.

Argenti vivi.

Aurum foliatum, vel alia ratione præparatum.

Argenti spumæ.

Apii semen, & succus.

Liguſtri flores.

Cerussæ.

Columbina ova.

Oleum majoranæ potum.

Persicorum nuclei.

Gypsi.

Gypso eadem conveniunt, quæ pro venenatis fungi superius proposita sunt,

Magnetis.

Auri limatura.
Smaragdi pulvis.

Squamæ æris, & æruginis.

Acori radix.
Corallium rubrum.
Menthæ succus.

Atque hic est omnium Alexipharmacorum tum communium, tum Specificorum census, quorum adhibendorum necessitatem D. O. M. clementer avertat.

FINIS.

IN-

INDEX

REMEDIORUM

Facilè Parabilium

Juxta Seriem Medicinæ Pauperum.

Causarum Morbificarum Remedia.

ET PRIMO

Causæ morbificæ copiæ peccantis.

P 6 Ac:

Ra-

Pro-

II. *Causæ morbificæ defectu peccantis remedia.*

III. *Causæ morbificæ qualitate peccantis medicamenta pro talis causæ varietate.*

IV. *Causam morbificam peccantem quiete auferentia.*

V.

MORBORUM Remedia.

Et primò iutemperierum.

II.

II. *Adversus morbos in mala compositione.*

Deobstruentia, seu causas obstructionis adimentia:

Ad

REMEDIA

Morborum in magnitudine.

Stru-

Remedia morborum in numero.

Morbum in situ, & connexione curabilem.

RE.

INDEX.

REMEDIA
Morborum in soluta unitate.

Remedia solutæ unitatis sine deperditione substantiæ, hoc est vulneris simplicis.

co-

Pro Delicatulis Medicamenta.

Finis Indicis.